Jung, Arthur
De fato Aeschyleo

DE FATO AESCHYLEO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
A. D. VIII. IDUS MARTIAS A. MDCCCLXII
H. XI. L. C.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ARTHUR JUNG,
REGIMONTANUS.

ADVERSARII ERUNT:
F. GRUENDEL, DR. PHIL.
M. HEUBACH, STUD. PHIL.

REGIMONTI PR.
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

DR. C. LEHRS

PROF. P. ORD. IN ACAD. ALBERT.

DR. C. ROSENKRANZ

PROF. P. ORD. IN ACAD. ALBERT.

PRAECEPTORIBUS

GRATO ANIMO

AUCTOR.

Si, quod jure dici debet, recentioribus demum temporibus Graeca tragoedia rectius intelligi coepta est, praeter auctam linguae Graecae et vero tragicae cognitionem Wolfii, Hermanni, Lobeckii ingenio debitam, tres potissimum caussas afferas, ipsas quidem inter se conjunctas; primum dicimus adductam propius ad genuinam formam mythologiam purgatamque illam a fuco absurdarum interpretationum, deinde summorum poëtarum nostrorum studia ad Graeca exempla accommodata, denique liberiores de rebus ad religionem pertinentibus sententias. Quamquam hoc si damus, tamen ne quis erret neve tam bonis fundamentis plus profectum esse putet quam re vera est, quamvis invitis monendum atque angendum est. Imo vero qui ei quaestioni se dederit, quae nobis proposita est de fato Aeschyleo, vix potest fieri quin indignetur, quantopere a multis quotidie adhuc et haec quaestio et quae cum illa cohaerent gravissimae pravo christianismo in devia declinentur, ipsam et veram Graecorum religionem sua caligine offuscantibus. Alii non minus prave suam, qua imbuti sunt, philosophiam Aeschylo obtrudunt, ut Haymius Hegelianam. Difficile est quidem notiones assuetas atque a

pueritia familiares quodammodo exuere atque alienas quasi cogitationes de rebus absconditis induere et maxime de rebus divinis: sed hunc qui aut fugit laborem aut caret facultate aut ne delectatur quidem, nisi ubique suas sibi et quotidianas notiones agnoscat, quid tandem exquiret? qui tandem ad integritatem Graecae religionis perveniet?

Sed satis praefati sumus, neque non satis rei difficultatem tetigimus, unde nobis ipsis veniam petituri sumus jam nostris viribus rem ipsam aggredientibus.

Cap. I.

Veram tragoediam maxime niti notione fati.

Historiam Graecae poëseos si perlustraverimus, inveniemus, primum epicam, tum lyricam, postremo tragicam viguisse ita, ut tragoedia priora illa genera exciperet [1]). Quod quomodo factum sit, breviter ostendendum videtur. Homerus enim res humanas deorumque inter se arcte conjunctas esse putavit et ubique horum illorumque res ita quodammodo connexas profert, ut praeter deos aliquid inesse in rerum natura, unde mortalium quoque res pendeant, haud raro paene delitescat.

Sed decursu temporum mutatis apud Graecos rebus et publicis et privatis, ut assolet, mutabantur etiam sententiae ad rerum divinarum rationem pertinentes. Quamobrem non poterat non fieri, quin fabularem historiam aliter atque ab Homero factum erat tragici poëtae et enarrarent et illustrarent. Quod inprimis in fato explicando cernitur, cujus mentionem quamvis

---

1) In ea sententia explananda versatur liber, qui inscriptus est: „Ariadne. Die tragische Kunst der Griechen in ihrer Entwickelung und in ihrem Zusammenhange mit der Volkspoesie von O. F. Gruppe, Berlin 1834.“ Capite, quod est de tragico fato pag. 709, demonstratur, fatum non recte intellectum esse; etenim „Alles musste verkehrt ausfallen, sobald man das Schicksal als einen bloss philosophischen Begriff, nicht aber als Schwerpunkt der tragischen Poesie, und wenn man wiederum die Poesie nicht in ihrem wahren und ganzen Zusammenhange auffasste.“ l. l. pag. 709. Sed vir doctissimus non satis perspicue ostendit, quomodo vera tragoedia ex fato suspensa sit.

Homerus quoque faciat, quum ne a Jove quidem potuisse servari Sarpedonem ejus filium narret, attamen fato non tantum tribuit, ut ad id omnia, quae fiant, sibi revocanda existimet: id quod ita se habere Aeschylo ceterisque tragicis persuasum fuit. Enimvero quo quis aetate provectior est, eo rectius causas rerum intelligit atque antecedentia futuris connectens, similitudines comparans repperit, si quid fiat, id forte non accidere, sed necessario consequi ea, quae antea sint facta. Quod antea falsa opinione sive casu et fortuito sive sine certa lege sibi accidere putavit, id jam aliter dijudicat. Intelligit enim non quasi angustos rerum terminos considerandos esse, sed tamquam majora illarum intervalla contemplanda. Ex quo efficitur, ut quandam fortunae temeritatem ii soli aegre ferant, qui suo arbitrio res humanas divinasque metiantur nec tamquam exiguum suae ipsorum vitae spatium transgredi possint. En habes viam, qua Graeci ad veram tragoediam pervenerunt. Nam quod singulis evenit, nonne id universae quoque genti evenire necesse est? Nemo sane invenietur, quin nobis assentiatur, quum praesertim Graeca poësis incredibile naturalium incrementorum exemplum praebeat neque ullum genus vel prorsus omiserit vel parum excoluerit. Propterea sunt, qui haud inepte istam seriem generum, quae deinceps sese excipiant, cum gradibus aetatis, hoc est infantiae, adolescentiae, aetatis virilis comparaverint: ut jam ne illud quidem absurde praeceptum videatur, quod quidam dixere, ante quintum lustrum peractum ad tragoediam certe condendam nemini accedendum esse.

Dicet fortasse quispiam: credi vix potest, tantam habere vim fati notionem in tragicae artis et incunabulis et proventu, quum Aristoteles opportunitate hujus loci demonstrandi data in arte poëtica plane de fato taceat. At hercule istam dubitationem ad tollendam causae praesto sunt haud levis momenti, primum quod multum abest, ut ille liber pro integro habendus sit, deinde quod de fato disputare etiam alienum fuisse videtur ab ea dissertatione, quae tota paene versatur in forma verae

tragoediae definienda, non in ejus vi ac natura explicanda. Huc accedit, quod inveniuntur, qui Aristotelica illa definitione satis superque tractata fati quoque notionem tecte significatam esse probare studeant. Haec hactenus.

Cap. II.

Quam late pateat fati notio in rebus divinis humanisque ex ea ponderandis.

---

§. 1.

De rerum divinarum ratione.

I. De diis fatalibus ipsis eorumque munere.

Ultimae causae si perpenduntur, propter quas omnia fiunt, quidam inveniuntur dii, quorum vis ac natura in eo maxime cernitur, quod eorum numina praesunt universae rerum naturae. Quare quidquid in vita humana ostenditur, id ad illos deos revocandum est. Huc referendi sunt: *Μοῖρα*, *Μοῖραι*, *δαίμων* qui dicitur, *δαιμόνιον*, *Ἀνάγκη*, *Εἱμαρμένη*, *Πεπρωμένη*, *Ἀδράστεια*, *Δίκη*, *Θέμις*, *Νέμεσις* [1]), *Ἄτη*, *Τύχη*, pro quibus interdum Olympii dii nominantur, ut *Ζεύς*, *Ἀπόλλων*, deinde dii inferi: *Εὐμενίδες*, *Νύξ*. Quibus de diis nescio an rectissime judicetur, si quis dicat, eos regere, ceteros facere. Quamobrem non tam certos deos eos existi-

---

1) Observatione dignum est, hanc deam, quae suum cuique tribuit, in Aeschyli septem, quae supersunt, tragoediis hoc nomine non inveniri (*νέμεσις* appellativum Sept. 218), sed Prom. 910 *Ἀδραστείας* nomine summa cum pietate nominata: *οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί.* Praeterea in fragmentis Phryg. 281 Herm. *Νέμεσις* dea est.

maverim quam numina per mundum pertinentia, quae re vera omnia perficiant, ac peragant, quum ceteri ad illorum vim et normam dirigantur. Hi sunt dii fatales, quibus mundus continetur, (licet de Graeco *κόσμῳ* cogitare) qui ut omnia inceperunt, ita ad finem perducunt eumque optimum.

Quo fit, ut in vitae humanae quoque actione quid diis tribuendum sit, quid hominibus, in dubio maneat [1]). Enimvero homines quasi cedunt diis eorumque numinibus ipsorum actiones radicitus evelluntur ita, ut omnia quodammodo fiant divina. Sic universae genti quid agendum sit, ad *μοῖραν* refertur divinitus dominantem: *θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ᾽ ἐκράτησεν τὸ παλαιόν, ἐπέσκηψε δὲ Πέρσαις πολέμους πυργοδαΐκτους διέπειν, ἱππιοχάρμας τε κλόνους, πολέων τ᾽ ἀναστάσεις.* (Pers. 102 sq.) In adversis igitur rebus neutiquam dolore caecati homines, sed ex sententia deos accusant, quare rectius quam ipse fortasse intelligit, in Persis nuntius dicit: *ἀλλ᾽ ὧδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατὸν, τάλαντα βρίσας, οὐκ ἰσοῤῥόπῳ τύχῃ*, ad quae Atossa: *θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς* (Pers. 342, sq.). Deinde: *ἦρξεν μέν, ὦ δέσποινα, τοῦ παντὸς κακοῦ φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν* (ibid. 348). Praeterea: *ὦ δυσπόνητε δαῖμον, ὡς ἄγαν βαρὺς ποδοῖν ἐνήλου παντὶ Περσικῷ γένει* (ibid. 516, cf. 457, 847, 516, 905, 919, 976. Ag. 1536. 1632. 1635. 1638). Non desunt loci, quibus Juppiter, Mars, *Ἄτη* ut administratores adversae fortunae commemorantur: Pers. 533 chorus canit: *ἀλλ᾽ ὦ Ζεῦ βασιλεῦ,*

---

1) Etiam Ciceronem in disp. de fato difficultates non effugisse videntur, quas fatum eam ob causam praebeat. Itaque de Chrysippo sic dicit: „Chrysippus aestuans laboransque quonam pacto explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.“ cf. Gellius, noct. Att. VII, 2, 15. Sed Stoici non dubitaverunt dicere nullam esse hominum singulorum efficientiam, si quidem M. Aurelium recte intelleximus. cf M. Aurel. VIII, 35. Quomodo religio vulgaris et philosophorum placita hac in re non plane inter se differant, Lehrsius demonstravit popul. Aufs. pag. 142, 10 sq.

νῦν Περσῶν τῶν μεγαλαύχων καὶ πολυάνδρων στρατιὰν ὀλέσας, ἄστυ τὸ Σούσων ἠδ' Ἐκβατάνων πένθει δνοφερῷ κατέκρυψας. cf. Ag. 35 sq., qui locus ad justitiam quoque deorum pertinet, et *Ἰώνων γὰρ ἀπηύρα, Ἰώνων ναύφρακτος Ἄρης ἑτεραλκὴς νυχίαν πλάκα κερσάμενος δυσδαίμονά τ' ἀκτάν* (Pers. 925 sq.), denique: *ἰὼ, ἰὼ δαίμονες δ' ἔθεντ' ἄελπτον κακόν, πάγκακον οἷον δέδρακεν Ἄτα* (ibid. 976 sq.) Supplices timentes, ne injuriis afficiantur, invocant Dianam suppl. 1000, Venerem 1004, Desiderium 1010, Eloquentiam 1011, Harmoniam 1012 (de qua dea cf. Hermanni edit. Aeschyl. II, pag. 53), cf. Sept. *οὐδ' ἐπίχαρις Ἄρης* 885. — Etiam singulas easdemque minutiores revocari res ad munus *Μοίρας* videmus. Propterea Calchas ante Trojanam expeditionem sic auguratur: *πάντα δὲ πύργων κτήνη πρόσθεια δημιοπληθῆ Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον* (Ag. 123 sq.) Munitae etiam ad mortem ferendam Danai filiae erunt, *μὴ τυχοῦσαι θεῶν Ὀλυμπίων* (suppl. 143.) (cf.: *ὕπαστρον δέ τοι μῆχαρ ὁρίζομαι γάμου δύσφρονος φυγᾷ* ibid. 378.) Procella, quae Graecos redeuntes dissipaverat cum Menelao, Agamemnonem a reditu non prohibuit, quare nuntius: *ἡμᾶς γε μὲν δὴ ναῦν τ' ἀκήρατον σκάφος ἤτοι τις ἐξέκλεψεν* (memorabilis significatio divinae actionis ad dolum quendam divinum spectat) *ἢ 'ξῃτήσατο θεός τις, οὐκ ἄνθρωπος, οἴακος θιγών. Τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν θέλουσ' ἐφέζετο* Ag. 640 sq. cf. Eum. 449. Suppl. 507: *πειθὼ δ' ἕποιτο καὶ τύχη πρακτήριος.* Jam minus mirum videbitur, quod ipsa facinora vel turpissima hominibus committenda quasi imposita sunt. Clytaemnestra jussis ancillis purpuram sub pedes Agamemnonis pandere sic pergit: *τὰ δ' ἄλλα φροντὶς οὐχ' ὕπνῳ νικωμένη θήσει δικαίως σὺν θεοῖς εἱμαρμένα* Ag. 879. Quin etiam paulo ante sese excusans *Δίκην* ipsam appellat: *εὐθὺς γενέσθω πορφυρόστρωτος πόρος, ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται Δίκη.* ibid. 877 cf. ibid. 940 sq. Etiam gravior ad eandem sententiam illustrandam hic est locus, quo Clytaemnestra et chorus de *δαίμονι* consentiunt, qui evitari

non possit: Clyt. νῦν δ' ὤρθωσας στόματος γνώμην, τὸν τριπάχυντον δαίμονα γέννας τῆσδε κικλήσκων. ἐκ τοῦ γὰρ ἔρως αἱματολοιχὸς νείρει τρέφεται, πρὶν καταλῆξαι τὸ παλαιὸν ἄχος, νέος ἰχώρ. Chor. ἦ μέγα δώμασι τοῖσδ' αἴμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς, φεῦ φεῦ κακὸν αἶνον ἀτηρᾶς τύχας ἀκορέστου· ἰώ, ἰὴ διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα. τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται; τί τῶνδ' οὐ θεόκραντόν ἐστιν; Ag. 1443 sq. (cf. Suppl. 790 sq.) [1]). Divinitus igitur quum

1) Bluemner in libello: „Ueber die Idee des Schicksals in den Tragöedien des Aeschylus", Leipzig 1814 sic hariolatur: „Auch Klytaimnestra ist keineswegs vom Schicksale zum Gattenmorde bestimmt. Zwar möchte sie der Moira die Schuld beimessen, doch Orestes' Antwort würdigt diese Anrede nach ihrem wahren Gehalt. Die Triebfedern liegen in ihrem eigenen bösen Willen und ihren Leidenschaften, die Agamemnon freilich zum Theil selbst aufgeregt hat. Der Hass wegen Iphigenias Opferung macht wenigstens ihre That erklärlich und mindert ihre Abscheulichkeit." l. l. pag. 145. Quae quidem refellere nec juvat nec placet, quod si tota hac dissertatione Bluemnerum errasse non ostendero, equidem fatebor me omnino non aptum esse ad refutandum virum doctissimum. Sed alias sententias Bluemneri non possum non facere ut lectori benevolo dijudicandas commendem, p. 136 sic de vi et natura chori dicit: „Richtiger wird in den meisten Fällen der Chor, dies parteilose Organ der Vernunft und Rechtlichkeit, während um ihn Alles schwankt, auf die Grundidee leiten." Quod a quo V. D. didicerit, apparebit, si Schilleri de choro antiquo sententiam in memoriam revocaverimus. At Bluemner scire debebat, etiam Schillero accidere potuisse ut erraret. Enimvero continet se etiam chorus intra fines, quibus tota circumscripta est tragoedia, et nonnunquam sibi ipse repugnat. Tantum autem abest, ut semper cogitando et dicendo perfectae respondeat veritati temperantiaeque neque unquam de statu dejiciatur, ut mentiatur interdum (Soph. Phil. v. 1085) una cum reliquis et de sua ipsius prudentia intelligere debeat id, quod legitur apud Sophoclem: ψεύδει γὰρ ἡ 'πίνοια τὴν γνώμην. Atque id quod ita se habet, in eo ipso nescio an Aeschylus et Sophocles videantur mirabiles esse et scite sequi eas leges, in quibus sit tragica poësis sita. Quod ad demonstrandum nihil tam accommodatum videtur quam, quae apud Aristotelem in arte poëtica legitur, tragoediae definitio (a. p. c. 6). Quam-

necatus sit Agamemnon, suo jure Aegisthus dicit: κἀγὼ δίκαιος τοῦδε τοῦ φόνου ῥαφεύς ibid. 1572. Sed ultionem pariter dii dant, quare chorus in votis habet, ut Orestes cum

---

quam ea ne obiter quidem chorum attingit, tamen quum chorus tragoediae sit pars, ejus ipsius quid sit proprium, illa definitio amplectatur necesse est, si quidem non caret ea subtilitate, qua Aristoteles omnes superat criticos. Sed ei definitioni quae sententia sit subjicienda, si intellexerimus, non dubitabimus, quin uno verbo, quod est μίμησις, satis significetur chori quoque vis ac natura. Imitatur enim poëta tragicus actionem aliquam, quam severam esse oportet, ita ut non enarret quid sit factum, sed tamquam praesentes effingat ipsas personas. Qua ex re sequitur, ut sibi quodammodo ipse temperet, quominus suam dicat sententiam. Atqui chorus praesertim qui compositus sit et feminis et comitatu aut regum aut heroum quamobrem legibus, in quibus recta sit posita imitatio, solutus sit, nullo pacto potest intelligi. Itaque efficacissima ad delectandos spectatores μίμησις quaeque quum minime abhorreat (Aristot. a p. c. 1, 2, 3.) a rerum natura, si chorus praeciperet quodammodo eas sententias, quae insint in tragoedia tamquam velatae et dispersae, verarum rerum μίμησιν tolleret. Huc accedit, quod ejusmodi semper tragica ars videtur, ut spectatores multo intelligentiores in actionis connexu fiant quam et personae et chorus. In quo quantam habeant vim poëtae ad animos mentesque nostras et erigendas et delectandas, longum est hoc loco dicere. (Propterea sunt, qui, ut Antigonae culpam demonstrarent, prave quibusdam chori sententiis usi sint, ut Antig. 601, 855. Ac similiter ad id, ni fallor, chori canticum, quod de imbecillitate mortalium est, Prom. 528 sq. spectant, quae imprimis a Schoemanno (in diss. Vindiciae Jovis Aeschylei, index. schol. in univers. lit. Gryphisvaldensi 18$^{16}/_{17}$) de Promethei impietate disputata sunt; quasi quae Oceanides simplicissime in summum deorum illae quidem omnem venerationem conferentes more mortalium confabulatae sunt, iis ipsius poëtae de Promethei moribus sententiam in medium prolatam esse liqueret.—) cf. Griech. Götterlehre v. F. G. Welcker II pag. 273 sq. Deinde nescio, quomodo secum ipse consentiat Bluemner, contrarias sententias afferens has p. 137: „Aeschylos namentlich — — — hat die Ereignisse, die er in seinen Tragödien darstellt, allezeit an etwas Höheres geknüpft, sei dies nun Moira, oder Moira und Zeus, welches niemals grausam, neidisch, schadenfroh erscheint — — — — — sondern erhaben und gerecht“, contra pag. 150: Wenn die Alten — von innerem Bedürfnisse getrieben — ihr Dasein an etwas Ueberirdisches zu knüpfen und ihm

πρευμενεῖ Τύχῃ (ibid. 1617) rediens poenas caedis expetat. Idem fere in ipso Orestis facinore fieri videmus. Nam haud obscure Loxias ab Oreste matrem interfici jubet; quod si minus fecisset, eum excruciatum iri tormentis, quae fuse describuntur: ἦ καὶ Λοξίας ἐφήμισεν, ἄναξ Ἀπόλλων, μάντις ἀψευδὴς τὸ πρὶν Ch. 552. cf. ibid. 571. 491. Eum. 87. 499 sq.: παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κλῄδονες σωτήριοι θανόντι. Ac paulo ante quam furias conspicit Orestes: κτανεῖν, inquit, τέ φημι μητέρ' οὐκ ἄνευ δίκης, πατροκτόνον μίασμα καὶ θεῶν στύγος, καὶ φίλτρα τόλμης τῆςδε πλειστηρίζομαι τὸν πυθόμαντιν Λοξίαν, χρήσαντ' ἐμοὶ πράξαντι μὲν ταῦτ' ἐκτὸς αἰτίας κακῆς εἶναι, παρέντα δ' — οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν. τόξῳ γὰρ οὔτις πημάτων προςθίξεται Ch. 1023 sq. Furiae Apollinem non modo conscium, sed etiam solum matricidii noxium putant ei exprobrantes videlicet: τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλεψας ὢν θεὸς Eum. 156. cf. ibid. 201. Maxime conducit ad hanc sententiam illustrandam hic locus: αὐτὸς σὺ τούτων οὐ μεταίτιος πέλει, ἀλλ' εἷς

---

gegen die Widerwärtigkeiten des Lebens dadurch eine Stütze zu geben versuchen; wenn sie in ihren Vermuthungen über die erste Ursache der Dinge schwankten und alle Begegnisse bald vom Zufalle (?), bald vom Verhängniss, bald von Zeus und andern Göttern ableiteten: so knüpfen dagegen wir Erleuchtetern (sic) sie an die Vorsehung an, wir geben allem eine feste teleologische Bedeutung. Wir glauben an die ewige Gerechtigkeit und Güte — — Ad Orestiam quod attinet, nescio an Bluemner parum intellexerit μοῖραν Aeschyleam omnia videlicet per tres tragoedias mirabiliter ducentem ad optimum eventum, quum Schlegelio assentiatur p. 148, sic de hac trilogia judicanti: „Die nächtliche Furchtbarkeit des Schicksals klärt sich im Zusammenhange der ganzen Trilogie bis zu Andeutungen (sic) einer weisen und gütigen Vorsehung auf.“ (Schlegel, dramat. Vorles. I, 204 der ersten Ausgabe) — Sed non desunt in Bluemneri libello loci summopere laudabiles et qui caute diligenterque perpendenti lectori viam parent ad rectam intelligentiam, ut pag. 156: „In dem Sinne, in welchem die griechischen Tragiker e. q. s. et pag. 164: „die religiöse Anlage des Menschen fordert e. q. s.“

τὸ πᾶν ἔπραξας ὡς παναίτιος Eum. 198. cf. ibid. 457. Confitetur etiam coram Areopagitis Apollo: αἰτίαν δ' ἔχω τῆς τοῦδε μητρὸς τοῦ φόνου. Eum. 569. cf. ibid. 583 sq. Quin ipsas furias Orestem non minus vexaturas fuisse, si Loxiae jussum ille neglexisset, quare Orestes οὔτοι, inquit, προδώσει Λοξίου μεγασθενὴς χρησμός (Ch. 267 sq.) Itaque Jovem ipsum ut vindicem appellat ita, ut jam ex ipsius Jovis sententia facturus esse sibi videatur (ibid. 390). Quo perfecto paratus est mori; ut qui in matre interficienda suum sibi officium plane expleturus sit: ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν. — Intelligemus igitur, fatum nonnunquam ita versari in vita humana, ut homines quasi quaedam instrumenta deorum fatalium esse videantur; longe aliter sese gesturi, si naturam suam sequi possent [1]); quod quidem hac filium inter et matrem altercatione

---

1) Id quod eodem modo ad recentiores pertinet tragicos, si quidem veras composuerunt tragoedias. Jam apparet, quam ingeniose Goethius Shakespearii Hamletum explicans in universum simul quid sit tragicum explanaverit: „Die Zeit ist aus dem Gelenke; wehe mir, dass ich geboren ward, sie wieder einzurichten.“ In diesen Worten, dünkt mich, liegt der Schlüssel zu Hamlet's ganzem Betragen, und mir ist deutlich, dass Shakespeare habe schildern wollen: „eine grosse That auf eine Seele gelegt, die der That nicht gewachsen ist“ (Wilh. Meister's Lehrjahre, Goethe's Werke, vollständ. Ausgabe in 6 Bdn. 3. Bd. Stuttgart 1860 pag 226.) Cf.: „Hamlet, eine Schicksalstragoedie (Archiv für das Studium der neuern Sprachen und Literaturen herausgegeb. v. L. Herrig, XV. Jahrg. 27 Bd. Braunschweig 1860, pag. 269), quam dissertatiunculam ante hos duos annos scripsi impetu magis et studio incensus quam satis et doctrina et subtilitate instructus. — Ceterum similitudinem Orestis et Hamleti persecuti sunt quum alii, tum Trahndorff: „Ueber den Orestes der alten Tragödie und den Hamlet des Shakespeare“ (Programm des Friedrich Wilhelms-Gymnasii Berlin 1833). Quod attinet ad Shakespearii fatum, Goethius ad tempus pro me dicat: „Es sind keine Gedichte! man glaubt vor den aufgeschlagenen ungeheuren Büchern des Schicksals zu stehen, in denen der Sturmwind des bewegtesten Lebens saust, und sie mit Gewalt rasch hin und wieder blättert“, et quod homines Aeschyleos quasi quaedam instrumenta

animos nostros vehementer sane commovente exprimitur: Cl. ἡ Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία. Or. καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον — — —. Cl. κτενεῖν ἔοικας, ὦ τέκνον, τὴν μητέρα. Or. σύ τοι σεαυτήν, οὐκ ἐγώ, κατακτενεῖς. Cl. ὅρα, φύλαξαι μητρὸς ἐγκότους κύνας. Or. τὰς τοῦ πατρὸς δὲ πῶς φύγω, παρεὶς τάδε; Ch. 898. 899. 910 sq. Cf. Or. πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδε σουρίζει μόρον ibid. 915. — Quaecunque fiunt, omnia ita cohaerent, ut dissolvi non possint. Quo fit, ut vel sanctissimis legibus interdum quasi quaedam dignitatis jactura facienda sit. Enimvero sanctum est matrimonium, sancta pietas parentum et liberorum. Quod quum ita sit, Furiis defendentibus suo jure legem pietatis Apollo rursus opponit matrimonii sanctitatem: ἦ κάρτ' ἄτιμα, καὶ παρ' οὐδὲν ἦκέ σοι Ἥρας τελείας καὶ Διὸς πιστώματα e. q. s. Eum. 212—23. — Furiae enim aeque ac ceteri dii munus suum acceptum referunt Μοίρᾳ: τοῦτο γὰρ λάχος διανταία Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν Eum. 332 sq. cf.: σπενδομένᾳ δ' ἀφελεῖν τινὶ τάσδε μερίμνας Μοῖρ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνει, μήδ' εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν, ibid. 355 sq. cf. 383. — Non minus autem per deos fit, ut Orestes a Furiis persequentibus liberetur; nam Jovis voluntati morem gerere Furias opus est: ἀλλ' ἐκ Διὸς γὰρ λαμπρὰ μαρτύρια παρῆν, αὐτὸς θ' ὁ φήσας αὐτὸς ἦν ὁ μαρτυρῶν, ὡς ταῦτ' Ὀρέστην δρῶντα μὴ βλάβας ἔχειν Eum. 786 sq. cf. Ζεὺς ὁ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα Eum. 1025. Quid, quod vel inferioris, ut videri possit, loci Deae, quae est

deorum fatalium esse supra diximus, id Goethius ad Shakespearium transfert sic: „Seine Menschen scheinen natürliche Menschen zu sein, und sie sind es doch nicht. Diese geheimnissvollsten und zusammengesetztesten Geschöpfe der Natur handeln vor uns in seinen Stücken, als wenn sie Uhren wären, deren Zifferblatt und Gehäuse man von Krystall gebildet hätte; sie zeigen nach ihrer Bestimmung den Lauf der Stunden an, und man kann zugleich das Räder- und Federwerk erkennen, das sie treibt.“ l. l. pag. 209.

Πειθώ sua quaedam in hac re vis attribuitur? Causa Orestis acta Eloquentiae deae a Minerva justus permittitur locus: *στέργω δ' ὄμματα Πειθοῦς* (ibid. 955, cf. 872. Suppl. 507.) Virorum mulierumque moribus diversis aliquoties Aeschylus egregie et efficaciter sane usus est. In quo paululum morari operae pretium videtur. In periculis adeundis virorum est, sibi potius confidere et rationis fiducia niti, sed feminae pro sua natura tantummodo confugiunt ad deos, quibus nihil efficacius cogitari possit vel in rebus adversis propulsandis vel in prosperis afferendis; id quod fieri Thebis oppugnatis in colloquio Eteoclis chorique virginum videmus: Eteocl. *πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας μήτηρ, γυνῆς σωτῆρος· ὧδ' ἔχει λόγος.* Chor. *ἔστι θεοῖς δ' ἔτ' ἰσχὺς καθυπερτέρα. πολλάκι δ' ἐν κακοῖσι τὸν ἀμήχανον κἀκ χαλεπᾶς δύας ὑπὲρ τ' ὀμμάτων κρημναμενᾶν νεφελᾶν σαοῖ.* Sept. 207 cf. Prom. 513 sq. 518. Similiter enim Prometheo Oceanides oppositae sunt. Quarum dearum mansuetudinem ac mitem animi lenitatem si perpenderis et ad Promethei comparaveris virilem pertinaciam, videbis, quam venusta sit haec dissimilitudinum conjunctio Enimvero nihil potest cogitari, quod magis contrarium sit: illae in unum temporis punctum attentae de Promethei clade ita judicant, quasi ipsum sibi eam contraxisse putent, hic pari acumine et praeterita et futura perspiciens exploratum habet, quod fecerit, sibi faciendum fuisse; illae ut promptae sunt ad venerandum et facile indulgent etiam vitiis aliorum, si quidem amoris tamquam sitim exstinguere possunt, ita Jovis in regendo mundo licentiam silentio premunt nec pietati in eum suae quidquam indignationis mixtum patiuntur, hic Jovi plane renunciat reverentiam nec justitiam in singulis ejus factis, sed in rerum ordine, qui ex temporum [1]) perpetuitate pendeat, cerni arbitratur; illae quum ipsae in obedientia acquiescant neque unquam patientiam depo-

---

1) cf. Lehrs, populäre Aufs. comment., quae de Horarum munere est, pag. 73 sq. et pag. 86 sq.

nant, item ad eam ducere Prometheum student; eique persuadere conantur, ut morem Jovi gerat, hic se ipso niti pergit neque aliter Oceanum excipit. In diis fatalibus quum omnia sint posita, non potest fieri, ut quisquam fati leges effugiat; ut jam perspicuum sit, Herodoteum illud *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγέειν καὶ θεῷ* a fato Aeschyleo non abhorrere. Eteocles iturus ad certamen singulare cum fratre conserendum admonet chorum, ne inaniter queratur: *οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον* Sept. 264, cf.: *ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεός. ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχόν, Φοίβῳ στυγηθέν, πᾶν τὸ Λαΐου γένος.* ibid. 670 cf. 683 sq. Porta Thebana, in qua fratres sese interficientes diem obierunt, ab ipso Apolline occupata est ex oraculo eo, quod olim Lajo editum erat: *τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτας ἄναξ Ἀπόλλων εἵλετ', Οἰδίπου γένει κραίνων παλαιὰς Λαΐου δυσβουλίας.* Sept. 781 sq Enimvero *θέσφατ' οὐκ ἀμβλύνεται* ibid. 824. De morte fratrum chorus: *οὕτως ὁ δαίμων κοινὸς ἦν ἀμφοῖν ἅμα* ibid. 794. cf. *καὶ δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων* ibid. 931. Praeter *μοῖραν* Oedipodis umbra et Furia participes sunt caedis illius: ibid 954 sq. cf. 1041. — Tota tragoedia, quae Prometheum vinctum repraesentat, eos refellit, qui omnem calamitatem tantummodo e sua cujusque culpa oriri affirmant. Id quod ideo prorsus aliter se habet, quod utique vis fati dirigi tamquam quibusdam juris civilis legibus non potest; imo fatum aequa mente tolerandum est, quum causae saepissime intelligi nequeant, propter quas quidque fiat, sive quod animus ad tempus certe perturbatus est, sive quod hominum ingenium omnino non satis prudens, sive quod dii celatum voluerunt [1]). Itaque Prometheus respondet

---

1) Grandiloquus sic judicat Dronkius: „Das Ziel, welches Aeschylos in der tragischen Kunst verfolgte, schloss in sich die höchste Aufgabe des ringenden Menschengeistes: nachzuweisen, dass die göttliche Weltordnung mit der Intelligenz der Sterblichen im

ad opprobria Oceani parum videlicet intelligentis, qui tamen ipsi auxilium promisit: *μόχθον περισσὸν κουφόνουν τ' εὐηθίαν* Prom. 385. nec sine ironia tamquam illi operam cogitandi levaturus: *ἐμον δόκει σὺ τἀμπλάκημ' εἶναι τόδε* ibid. 388. Aspernatur item et solatia et hortamenta Oceanidum hoc modo: *οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεςφόρος κρᾶναι πέπρωται, μυρίαις δὲ πημοναῖς δύαις τε καμφθεὶς ὧδε δεσμὰ φυγγάνω· τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ* ibid. 513. cf. 518. 520. Summa igitur reverentia debetur necessitati, quae inevitabilis est: quae ipsa, quum multis atque inexspectatis modis manifesta fiat, si quidquam, jure dici possit *πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία* (cf. Prom. 212.) Pro sancto igitur fatum habent Oceanides, Prometheo, quippe qui occultet sui fati exitum, respondentes: *ἦ πού τι σεμνόν ἐστιν ὃ ξυναμπέχεις* ibid. 523. Cognoscitur autem fatum tempore cf. Ch. 959. Prom. 985. Epapho nato eventum habet *μόρσιμος αἰών*, quare Jus sors conjuncta est cum Danaidibus, quo exemplo demonstratur, omnia singulorum fata aliud ex alio apta et necessitate nexa esse. cf. Suppl. 45 ibid. 529 sq.

Rex Argivorum diu multumque secum reputat, utrum supplicibus auxilium ferendum sit. Tandem aliquando consilium opitulandi constat. Qui locus quamvis corruptelis gravissimis laboret vehementer memorabilis est, utpote qui demonstret, quousque homines Aeschylei libero arbitrio liberaque deliberatione sibi ipsi uti videntur. Subauscultando enim quodammodo intimas cogitationes regis secum pugnantis percipimus cf. Suppl 421 sq. 426 sq. At vero observandum est, eam animi conditionem, qua sibi conscii nec divinitus determinati, sed ipsi quasi rationem reddituri suorum factorum homines in scenam producti sint, rarissime apud Aeschylum inveniri.

---

vollsten Einklang stehe (sic). Die Befriedigung, die seine Stücke in den Gemüthern der Zuschauer zu erwecken suchten, wurde immer auf die Einsicht gegründet, dass nach den ewigen Sittengesetzen die Handlung sich so vollenden musste, wie sie sich vollendete." l. infra l. pag. 25.

II. De bono ejusque fonte sive de voluntate in honestate persequenda libera.

Nihil sane magis idoneum videtur ad Aeschyli theologumena perspicienda et ab aliis distinguenda quam quae de bono ejusque fonte eum sensisse manifestum est. In quo maxime cautio nobis habenda est, ne poëtae quidquam vel e Christianismo vel e recentiore philosophia sumptum subjiciamus. Enimvero nos quidem ab ineunte aetate edocti, nihil esse honestum nisi quod nosmet ipsi voluerimus voluntatemque totam in nostra esse potestate, nescio quo pacto obliviscimur saepissime fontis, ex quo quidquid honeste faciamus quodammodo hauserimus. At vero Graeci, religiosissimi, ut ait Jakobsius, omnium mortalium, ne honestatem quidem sibi solis arrogaverunt. Nec vero propterea aut sibi ipsi desperaverunt aut suismet viribus diffisi sunt; imo dummodo strenui erant ac sollertes, sine anili superstitione et deos colebant et res gerebant, quae ipsis tractandae deorum beneficio permissae erant [1]). (Cujus rei haud injuria dixeris in ipso Aeschylo exemplum esse, ut qui apud Marathonem Salaminemque strenue et fortiter pugnaverit.) Quin etiam honestum a bono plerumque non secernit Aeschylus ita, ut utrumque quasi in unum conjunctum esse putare videatur. Atqui quum bonum ipsum necessitas omnium rerum complectatur, idem de honesto sentiendum erit Ergo ne honeste quidem facta non in fato esse videmus.

Darius non sine deo *ὄλβον* sibi paravit: *ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός* Pers 163. Nuntius de Trojae excidiis ita sentit, ut dicat: *καὶ χάρις τιμήσεται*

---

1) „Denn so lange das Volk thätig und gesund und seiner Götter sicher und froh war, war das Alles nicht gefährlich, war die Allgemeinstimmung einfach. In Scheu vor der Unsicherheit des Menschlichen unterwarfen sie sich mit Ehrfurcht auch dieser göttlichen Gewalt, wussten den Erfolg in Tyche's und der Götter Macht, ohne deshalb zu unterlassen, was ihnen gegeben war" — — — — —. Lehrs, populäre Aufsätze pag. 160.

Διὸς πάδ' ἐκπράξασα Ag. 559. *Θέμις* ipsa impedit, quominus virginibus connubium extorqueatur. Suppl. 37. cf. ibid. 214. Bene facere nemo potest nisi qui bene sentiat: id autem deorum dono hominibus obtingit: *καὶ τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν θεοῦ μέγιστον δῶρον* ibid. 895. Quo in loco gravissimi momenti est, quod de maximo dono sermo est. Nec mirum, quoniam ultima rerum gerendarum causa ratione continetur ea, qua unusquisque sentiat [1]). Atqui certe recte faciendi potestas sita est in rectis sententiis; quas qui habet, id potissimus agit, ut omnibus in rebus teneat modum. Ex quo efficitur, ut *μὴ κακῶς φρονεῖν* eos, qui moderate faciant,

---

1) In quo videlicet magnopere refert, quae ratio natura innata sit in mentibus hominum. Enimvero naturalis illa inclinatio immubilis est neque eruditione evelli potest, quamobrem ne sententiae („Gedanken") quidem non necessariae sunt (cf. Schilleri illud: Sie sie nothwendig wie des Baumes Frucht, sie kann der Zufall gaukelnd nicht verwandeln et item Goethius: Und keine Zeit und keine Macht zerstückelt geprägte Form, die lebend sich entwickelt.) Sed quidam negaverunt, a Graecis poëtis homines moribus semper iisdem praeditos eosdemque sibi constantes, quos nos dicimus „Charaktere", in scenam productos esse. Quod quomodo de Oedipode, Ajace, Philoctete, Prometheo aliisque dici potuerit equidem nescio. Quamquam non tam fuse quam recentiores poëtae solent Aeschylus singularum personarum mores descripsit nec tamquam diversas animi intimi partes homines ipsos inspicientes fecit, tamen ut diis sic hominibus suam cuique naturam tribuit. Itaque vereor, ne non recte se habeant ea, quae K. Fischer de personis antiquarum tragoediarum dixerit. (Cf. Gesch. der neueren Philosophie v. K. Fischer, I. Bd. p. 415.) Id quod eo magis offendit, quo propius ceteroquin disputatio viri doctissimi ad Britannici poëtae quendam fatalismum e morum et affectuum necessitate illum quidem proficiscentem accessit (cf. ibid. pag. 416) Qui fatalismus quum in ipsis personis cernatur, vehementer peccavit Bluemner, distinguens ita, ut affirmaret, separandas esse tragoedias fatales a tragoediis ad animi perturbationes pertinentibus (cf. l. l. pag. 162), quamvis ipse Joanni de Muellero assentiatur sic dicenti: „Was anders sind die, welche alles zu bewegen glauben, als Räder, die nicht dahin gehen, wohin sie wollen, sondern geführt von dem unerforschlichen Geist?" (l. l. p. 151.)

reamur. Unde liquet, si quid bene conformetur, id diis deberi, quippe qui tempestivo interventu cujusvis generis cupiditates coërceant. Quod profecto in componendo Furiarum et Minervae certamine cernitur, in quo videlicet dii Olympii praeclarum illud *μηδὲν ἄγαν* sequuntur. Cf. Eum. *φονεὺς γὰρ εἶναι μητρὸς ἠξιώσατο.* Min. *ἄλλης ἀνάγκης οὔτινος τρέων κότον;* —— Min. *δυοῖν παρόντοιν ἥμισυς λόγος πάρα.* Eum. 417 sq 420. Tranquillitate et temperantia Minerva etiam Furias reddit mitiores atque in obsequium promtiores: Eum. *δίδαξον. τῶν σοφῶν γὰρ οὐ πένει.* Eum. 423 sq. Modum igitur ubique pro rato habendum premit Apollo quoque defendens Orestem Furiae quum solum matricidium intueantur, Apollo suo jure nefariam tantummodo Agamemnonis caedem causatur neque ullam filii pietatis ipse rationem habet, ut sibi conciliet judices: *ταύτην* (Clytaemnestram) *τοιαύτην δ' εἶπον, ὡς δηχθῇ λεώς. ὅσπερ τέτακται τήνδε κυρῶσαι δίκην.* Eum. 629. Furiae item judicant re ab una tantum parte spectata, ut ansam irascendi praebeant Apollini; qui ne machinam quidem in jure dicendo adhibere dubitat. Quamquam cum quadam hilari ironia eo modo causam agit neque aliter sentire videtur ac si suam victoriam habeat exploratam. Enimvero sic fere expostulat cum Furiis: istam ad rem profligandam argutiis omnino non opus sit, si quidem vos aequitatis satis memores sitis. Sin autem jus et jurisdictionis viam ac rationem adhibere volueritis neque istas disserendi spinas jactare desieritis, ego quidem istius generis me non ignarum esse ostendam; sed cavete, ne denique concedatis, summum jus summam injuriam esse [1]). Haec hactenus. —

---

1) Similiter se gerit causam agens Portia in Shakespearii merc. Ven. Act. IV. Scen. 1. — Quod attinet ad calcudum Minervae ego quidem non possum facere, quin Hermanno assentiar dicenti de modo ferendi suffragii Aesch. ed. Bd. II. pag. 624. cf. Schol. ad Eum. v. 727: *ἐγὼ προσθήσω τὴν ἐσχάτην ψῆφον, ἤ, ὅταν ἴσαι γένωνται, νικᾷ ὁ κατηγορούμενος.* cf. Eum. 784 ea, quae Minerva dicit ad mitigandas Furias.

Consentaneum est, deos Olympios inprimis versari iis in rebus comparandis, quae salutem afferant hominibus, unde necessarie sequitur, ut Juppiter, Minerva, Apollo aliique praeter ceteros bonum quid sit et sciant et perficiant. Atque permiserunt quodammodo dii fatales Olympiis mundi gubernationem. Nam fieri non potest, ut dii quidquam παρ' αἶσαν agant: ἀλλὰ, θεοὶ γενέται, κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες, ἢ καὶ μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν. Suppl. 71 sq. Juste igitur Orestes et Electra diis auctoribus necaturi Clytaemnestram atque Aegisthum sibi videntur, quamobrem invocant Jovem praeter Κράτος et Δίκην τρίτον πάντων μέγιστον. (cf. Ch. 242 sq.) Orestes enim est ὁ πυθοχρήστας φυγὰς θεόθεν εὖ φραδαῖσιν ὡρμημένος (Ch. 928 sq.), quare ita se Apollinis beneficio obligatum esse confitetur: σθένος δὲ ποιεῖν εὖ φερέγγυον τὸ σόν. Eum. 90. Nam ἰατρόμαντις δ' ἐστί, ut Pythia ait, καὶ τερασκόπος, καὶ τοῖσιν ἄλλοις δωμάτων καθάρσιος ibid. 64 sq. Juppiter sane a fato pendet, qua de re infra fusius dicetur, nihilominus ab ipso Apollo et Minerva. Gradatim igitur deorum quosdam ordines sese excipere Aeschylo persuasum est. Nec vero quisquam deorum pari facultate satisfaciendi Jovis voluntati praeditus invenitur atque Apollo et Minerva: ille Apollo, qui φιλεῖ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια Spt. 600, illa Minerva, quae nullo omnino labore adeo defatigari potest, ut langnescat in sedandis Furiis: οὔτοι καμοῦμαί σοι λέγουσα τἀγαθά. Eum. 868. Et universe dii ad homines eorumque sentiendi rationem propius accedunt, quum ad misericordiam propensiores sint. Quod quomodo factum sit, neminem certe fugiet secum reputantem, ipsis diis accidere potuisse, ut pericula adirent variosque fortunae casus subirent. Sic Apollo, ut ipse exilium expertus est, sic puellis supplicibus patria orbatis promtior ad opitulandum fore videtur. Hac enim spe fretas ita loquentes invenimus: Dan. ἁγνόν τ' Ἀπόλλω, φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν. Chor. εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη βροτοῖς. Dan. συγγνοῖτο δῆτα καὶ παρασταίη πρόφρων.

Suppl. 201 sq. — Liberatus igitur a Furiarum vexatione Orestes exclamat: *ὦ Παλλὰς, ὦ σώσασα τοὺς ἐμοὺς δόμους — — Ἀργεῖος ἀνὴρ αὖθις, ἔν τε χρήμασιν οἰκεῖ πατρῴοις, Παλλάδος καὶ Λοξίου ἕκατι, καὶ τοῦ πάντα κραίνοντος τρίτου σωτῆρος, ὃς πατρῷον αἰδεσθεὶς μόρον σώζει με, μητρός τάσδε συνδίκους ὁρῶν.* Eum. 746 sq. Si quid praeter exspectationem prospere cadit, nonnunquam id Mercurius effecit; qui exempli gratia consulto Hyperbium et Hippomedonem inter se concurrere patitur: *Ἑρμῆς δ' εὐλόγως ξυνήγαγεν.* Sept. 489.

Exstat locus, quo Aeschylus Homericam quandam simplicitatem redolet, quum Eteocles deos ideo hominibus propitios esse oportere ante proelium dicit, quod magnopere ipsorum referat ab iis coli: *ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ, καὶ πολισσοῦχοι θεοί, Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής, μή μοι πόλιν γε πρεμνόθεν πανώλεθρον ἐκθαμνίσητε δηάλωτον — — — ξυνὰ δ' ἐλπίζω λέγειν· πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει.* Sept. 69 sq. Quamquam alio quodam loco idem Eteocles rem ad *Δίκην* refert: etenim persuasum est ei, si quidem *Δίκην* a fratris partibus stare fas esset, illum victorem evasurum: quam tamen nullo non tempore longe ab illo afuisse: *εἰ δ' ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν ἔργοις ἐκείνου καὶ φρεσίν, τάχ' ἂν τόδ' ἦν· ἀλλ' οὔτε νιν φυγόντα μητρόθεν σκότον, οὔτ' ἐν τροφαῖσιν, οὔτ' ἐφηβήσαντά πω, οὔτ' ἐν γενείου ξυλλογῇ τροχώματος, Δίκη προςεῖπε καὶ κατηξιώσατο* Sept. 643 sq. — Nonnunquam homines se ipsos aliquid fecisse eo certius affirmant, quo magis hoc potissimum facinore sibi aliquantum honestatis additum iri opinantur. Ex quo apparet, quam venuste Danaides patri respondeant, monitae ab eo, ne Argivis vel gestu vel vultu quidquam detrahendi de castitate sua copiam faciant: *τἄλλ' εὐτυχοῖμεν πρὸς θεῶν Ὀλυμπίων ἐμῆς δ' ὀπώρας οὕνεκ' εὖ θάρσει πάτερ· εἰ γάρ τι μὴ θεπῖς βεβούλευται νέον, ἴχνος τὸ πρόσθεν οὐ διαστρέψω φρένος.* Suppl. 984 sq.

III. De Jove ejusque cum fato necessitudine.

Quamquam Juppiter inter deos pro summo habetur ita, ut nonnunquam ipsius fati vis comparata illa quidem cum Jovis potentia nulla omnino esse videatur; tamen revera quae ratio inter Jovem et fati necessitatem intercedat ostendit Prometheus vinitus, quo Jovem quoque Ἀνάγκῃ subjectum esse evidentissimum est [1]). Adde in conferendis locis ad ea, quae supra in deorum fatalium munere explanando attulimus Prom. 930, ubi de Jove ita praedicatur: *πταίσας δὲ τῷδε* (cf. 914: *πατρὸς δ' ἀρὰ Κρόνου τοτ' ἤδη παντελῶς κρανθήσεται*) *πρὸς κακῷ μαθήσεται ὅσον τό τ' ἄρχειν καὶ τὸ δουλεύειν δίχα.* Itaque quo elatius de Jove dicitur, eo plus ponderis adjicitur fato. Jam non alienum a nostra disputatione videbitur locos colligere, quibus Jovis majestas illustratur, praesertim quum alii interpretes Jovem Aeschyleum cujusdam monotheismi speciem prae se ferre putaverint, quo nihil perversius potest cogitari [2]).

---

1) Quod ita esse, ne Welcker quidem dissertatione de Aeschyli Prometheo (Griechische Götterlehre II, pag. 246) satis luculenter ostendit. Imo quae ratio inter Jovem et fatum intercedat, nemo mea sententia illam viri doctissimi dissertationem legens cognoscet. cf. l. l. pag. 267. 268. Contra alias de Jove judicat Welcker, hunc in modum dicens: „Indem Zeus mehr und mehr als Gott unter Göttern mythisch gefasst wurde, erhob sich auch die Moera, die bei Homer in ihm liegt, die Idee ewiger Einheit, Harmonie und Gerechtigkeit in der Weltregierung." l. l. pag. 246.

2) In quo lapsus est etiam G. Dronkius, recentissimus, ni fallor, interpres fati Aeschylei, qui pro notione sermone vulgari fere trita et significata hac voce: „lieber Gott" nescio quo pacto Jovem Aeschyleum sumpsit („G. Dronke, die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophocles" in „Jahrbücher für klassische Philologie, herausgegeben v. Alfred Flekeisen. IV. Supplementbd. 1stes Heft. Leipz. Teubner 1861.") Dico locos hos: „Also trennte doch

Sed duo apud Aeschylum inveniuntur Jovis celebrandi genera, quorum cernitur unum in ipso summi dei numine describendo, alterum in praesidio explicando, quo alios et deos et homines ornat. Manifeste summum imperium eum tenere his verbis commemoratur: ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὔτινος θοάζων, τὸ μεῖον κρεισσόνων κραίνει, οὔτινος ἄνωθεν ἡμένου σέβει κάτω, quem locum G. Hermannus ita vertit: sub nullius imperio properans, probat debiliorem fortioris compotiri infra, nullo superius sedente. (Σέβειν probandi significatu dixit in Agam. 1580. Eum. 741 cf. Herm. Aesch. II, p. 29) Suppl. 579 sq. Item supplices Jovem invocant: ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατε καὶ τελέων τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ ibid. 508 sq. cf. ibid. 576 sq. Nominatur πράκτωρ, πάνσκοπος, δυσπολέμητος ibid. 625 sq, cujus ira est terribilis: ὅστις ἂν δόμος ἔχῃ σφ' ἐπ' ὀρόφων ἰαίνοντα· βαρὺς δ' ἐφίζει ibid. 626 sq. Jovis dictum et factum unum idemque est: πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος σπεῦσαι τι τῶν βούλιος

---

der Dichter den Zeus, in welchem er den höchsten, vollkommensten Weltlenker erkannte (sic), nicht von dem Zeus der Sagenwelt." p. 16. „Es einigte sich aber alles, was die religiöse Gefühls- und Denkweise des Aeschylos in sich barg, in der einen Idee von Zeus. Er war ihm der einzige wahrhafte Gott, der auf niemandes Befehl hörte, auf dessen Geheiss alle anderen zu hören hatten. Es entsprang dieser monotheistische Grundzug (sic) aus der bewussten Erkenntniss, dass eine sittliche Lauterkeit der Weltordnung als unerlässliche Bedingung die Einheit der Gottheit voraussetzte. So erschaute denn Aeschylos in Zeus die Einheit alles Göttlichen, Gerechten, Sittlichen; die ganze Weltordnung galt ihm als das Werk des einen höchsten Gottes." pag. 55 denique: „In Prometheus und in den Eumeniden entwickelte er, wie hoch über die starren vernunftlosen Naturgewalten der Moira (???) und der Blutgöttinnen die Vernunft des persönlichen Zeus erhaben sei und wie diesem als dem Weltherrscher sich die niederen Naturmächte fügen müssen." p. 55. — Notionem liberi arbitrii quum grato animo acceptam a majoribus retineret, non elaborandum sibi esse in ea perpendenda putasse videtur Dronkius.

φέρει φρήν ibid. 582 sq. Pythia *τέλειον ὕψιστον Δία* nuncupat Eum. 29 cf. suppl. 121, quo *παντάρχας πανόπτας* a G. Hermanno scriptum est. (cf. Soph. Oed. Col. 1085, quem locum G. Hermannus ad Aeschyleum explicandum affert). cf. suppl. 80: *πάντα τοι φλεγέθει κἂν σκότῳ μελαίνᾳ τε τύχᾳ μερόπεσσι λαοῖς.* Non multum abest, quin Juppiter cum fato commutetur: *Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη* suppl. 79, ubi ad Necessitatem proxime accedit, cf *πίπτει δ' ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώτῳ, κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον* ibid. 82 sq. (Hermanni interpunctionem sequendum puto.) Itaque Vulcanus affixurus Prometheum Caucaso excusat jussum Jovis: *πάντως δ' ἀνάγκη τῶνδέ μοι τόλμαν σχεθεῖν· ἐξωριάζειν γὰρ πατρὸς λόγους βαρύ.* Prom. 16 sq. cf.: *ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διὸς* ibid. 49 sq. Quin etiam fatum a Jove regi uno loco dicitur: *ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ* suppl. 647 cf.: *σὸν δ' ἐπίπαν ζυγὸν ταλάντου. τί δ' ἄνευ σέθεν θνατοῖσι τέλειόν ἐστιν* ibid. 790 sq. Quibus locis nemo est, qui nostram sententiam de Jove supra expositam refutari contendat: quam ipse innuit Vulcanus quamvis alibi totus sit Jovis, quum sic de Jovis imperio judicare audet: *ἅπας δὲ τραχύς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ* Prom. 35. — Jam demonstremus, quomodo Jovis potentia per omnem vitae agendae rationem tamquam serpat neque ullam ejus partem sui expertem esse patiatur. In quo dupliciter disputandum est, primum de patricinio, quod Juppiter supplici abnuat nemini, deinde de auctoritate, quam vel apud deos habeat. —

Ad patrocinium quod attinet, *σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκνόμων σέβας, ὁρμώμενον βροτοῖσιν εὐπόμπῳ τύχῃ* Eum. 95 cf. suppl. 1, 462 ibid. 26: *Ζεὺς σωτήρ*, cf. 332: *Ζεὺς δὲ γεννήτωρ ἴδοι* ibid. 192 et *κείνου θέλοντος εὖ τελευτήσει τάδε* ibid. 197 cf. 608. 576 sq.: *βίαια μὴ στέρξῃς ὁρῶν ὄμμασιν ἐνδίκοις* (cf. Herm. Aesch. II, p. 40 demonstrantem, cur *μὴ φιλεῖς* improbandum sit) *σεβίζου δ' ἱκέτας σέθεν, γαιάοχε παγκρατὲς Ζεῦ* suppl. 781 sq

Item *Ζεὺς ἀλεξητήριος* commemoratur Sept. 8, unde liquet illud: *ἐκ Διόθεν πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ* ibid. 147 sq. In clipeis Hyperbii Thebani et Hippomedontis Argivi imagines Jovis et Typhonis expressae sunt; quare Eteocles: *πρὸς τῶν κρατούντων*, inquit, *δ' ἐσμέν, οἱ δ' ἡσσωμένων* Sept. 497 cf. ibid. 502 sq. — Jam quantum apud reliquos deos auctoritate valeat Juppiter, demonstrabimus. Quod maxime apparebit, si perpenderimus, Apollinem et Minervam in omnibus rebus conformandis non tam sua quam patris auctoritate niti; id quod Pythiae constat ita dicenti: *Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρὸς* Eum. 19 cf: *μέγας γὰρ ἔμπας πὰρ Διὸς θρόνοις λέγει* ibid. 228. Itaque ipsi Apollini Orestis causam optime se dicturum esse persuasum est, Jove auctore se dicere coram Areopagitis professum: *λέξω πρὸς ὑμᾶς, τὸνδ' Ἀθηναίας μέγαν θεσμόν, δικαίως, μάντις ὢν δ' οὐ ψεύσομαι κ.τ.λ.* Eum. 604—11. Deinde quod ipse Orestem a Furiis liberare studeat, id se facere nequaquam sine exemplo Jovis, quippe a quo olim Ixion parricida absolutus sit. cf. Eum. 709. Neque aliter Minerva, vehementer gloriata, se Jovis esse filiam: *κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός* Eum. 730: quae vox pariter spectat ad singularem hujus deae originem et ad eximium patris amorem.

Propterea ad placandas Furias dicit: *κἀγὼ πέποιθα Ζηνί, καὶ τί δεῖ λέγειν; καὶ κλῇδας οἶδα δώματος μόνη θεῶν, ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος.* Eum. 811 sq. Atque absoluto Oreste Jovem vicisse laetatur Minerva: *ἀλλ' ἐκράτησεν Ζεὺς ἀγοραῖος* ibid. 958. — Restat, ut locum percenseamus, quo Jovis quoque cum lepore illo Homerico, quem supra commemoravimus, mentio fit a supplicibus quasi minitantibus summo deo: *καὶ τότ' οὐ δικαίοις Ζεὺς ἐνέξεται λόγοις τὸν τᾶς βοὸς παῖδ' ἀτιμάσας, τὸν αὐτός ποτ' ἔκτισεν γόνῳ, νῦν ἔχων παλίντροπον ὄψιν ἐν λιταῖσιν ὑψόθεν δ' εὖ κλύοι καλούμενος.* Confidunt quidem promissis stare Jovem: levem tamen dubitationem inesse non negaveris. At vero Aeschylus nonnunquam deos ex humana

natura sese gerentes atque in sua libidine inconsultius persistentes facit [1]). Quid? quod Juppiter in Prometheum crudeliter consuluit? quid, quod effecit, ut Jo a Junone propter alienum amorem sollicita vexaretur? Assentiendum igitur est G. Hermanno ita disputanti contra defensores Jovis Aeschylei: Immo illud admirari oportet, quod quum de singulis diis indignissima quaeque crederent, tamen ubi sine certo numine Deum dicebant, immunem ab omni vitio summaque sanctitate praeditum intelligebant. Illam igitur Jovis saevitiam ut excusent defensores Trilogiae, et jure punitum volunt Prometheum — et in sequente fabula reconciliato Jove restitutam arbitrantur divinam justitiam. Quo invento vereor ne non optime dignitati consuluerint supremi deorum, quem decuerat potius non saevire omnino quam placari ea lege, ut alius Promethei vice lueret (cf. G. Hermanni opusc. vol. IV. pag. 256) [2]). — Mea quidem sententia qui ab Hermanno dicitur Deus sine certo numine is aliqua ex parte respondet vi ac naturae fati, quod etiamsi ipsum ille deus non sit, tamen eum tamquam terminum significet, quem singuli dii sua quidem efficientia transgredi nequeunt. Sed haec hactenus.

IV. De malo et de furiis.

Satis superque, puto, perspicuum est, quid de bonarum rerum causis Aeschylus senserit. Enimvero a diis adeo pendentia omnia humana esse credidit, ut ne virtutem quidem sine divina quadam opera homines assequi posse arbitraretur. Jam oritur quaestio, quid de malo ejusque fonte Aeschylus senserit. In quo inprimis monendum est, ne quis Graecos et Aeschylum sejunctum quendam a deorum fatique potestate mali fontem credidisse putet. Ipsae Furiae multum abest, ut

1) Qua re permotus Naegelsbachius non dubitavit dicere, Graecorum deos esse immortales homines.

2) Cf. „Grote, Griech. Myth. und Antiquit. übers. v. Fischer". I. pag. 353.

sua quadam et propria potestate scelerum et facinorum sint vindices suaque justitia libere defungantur. Imo ut omni ex parte justitiae exaequetur neve summum jus summa fiat injuria, accedunt dii Olympii, quippe qui illarum dearum diram quandam immanitatem ita coërceant, ut ea utantur immodicamque ulciscendi cupiditatem in suam rem convertant. Quod quidem ostendit copia locorum ad Furiarum naturam enarrandam pertinentium: *αἱ κατάπτυστοι κόραι — Νυκτὸς παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται θεῶν τις, οὐδ' ἄνθρωπος, οὐδὲ θήρ ποτε· κακῶν δ' ἕκατι κἀγένοντ', ἐπεὶ κακὸν σκότον νέμονται Τάρταρόν θ' ὑποχθονός, μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων.* Eum. 70 sq. Itaque iis sacrificatur seorsum a ceteris diis, *ὥραν οὐδενὸς κοινὴν θεῶν.* ibid. 112. Apollo eas hunc in modum increpat: *οὔτοι δόμοισι τοῖσδε χρίμπτεσθαι πρέπει, ἀλλ' οὗ καρανιστῆρες ὀφθαλμώρυχοι δίκαι, σφαγαί τε, σπέρματός τ' ἀποφθοραί, παίδων τε χλοῦνις, ἠδ' ἀκρωνία κακοῦ — — — ἆρ' ἀκούετε, οἵας ἑορτῆς ἔστ' ἀπόπτυστοι θεοῖς στέργηθρ' ἔχουσαι — —* ibid. 184 sq. 189 sq. cf. ibid. 206. 227. 402. 713. 845 sq. 1017. Atque ipsae Furiae pariter implacabiles et in odio perstantes sese esse confitentur: *μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νύξ, ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν ποινάν, κλῦθ'* Eum. 319 sq. cf. 408. Quamobrem recusant ab Oreste cruciando desistere, quum sibi solis jus de ejus causa judicandi esse putent: cf. 153. 164. 257. 260. 509: *πίτνει δόμος δίκας.* Aegre ferunt Apollinem qui operam dederit, ut mortui ab inferis excitarentur: *Μοίρας ἔπεισας ἀφθίτους θεῖναι βροτούς.* ibid. 716. cf.: *γεινομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη, ἀθανάτων δίχ' ἔχειν γέρας, οὐδέ τίς ἐστιν συνδαίτωρ μετάκοινος. παλλεύκων πέπλων δ' ἀγέραστος ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην.* ibid. 345. quo loco etiam de cultu sibi debito haud aliter atque supra demonstratum est judicant. Itaque Juppiter eas dignas non habet, quas secum habeat in Olympo, quod quidem et ipsae dicunt: *Ζεὺς γὰρ δειμαιοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας ἃς ἀπη-*

ξιώσαιο ibid. 358 sq. Nec quidquam cum diis Olympus conjunctum habent Furiae. Attamen earum munus minime inane est. Controversiam, quae ipsam inter et Furias de Orestis causa sit, difficilime componi posse concedit Minerva *τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἢ εἴ τις οἴεται τόδε βροτὸς δικάζειν· οὐδὲ μὴν ἐμοὶ θέμις φόνου διαιρεῖν ὀξυμηνίτους δίκας. ἄλλως τε καὶ σὺ μὲν κατηρτυκὼς δρόμοις* (cf. Hermanni edit Aeschyl. II, pag. 608: subactus miseriis) *ἱκέτης προςῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις ἐμοῖς· ἄμομφον ὄντα δ' αἰδοῦμαι πόλει· αὗται δ' ἔχουσι μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον* ibid. 462 sq. cf. 472 sq. Quo fit, ut diis demum hominibusque societate quadam conjunctis causa Orestis prospere procedat, in quo maxime *Μοῖρα* cernitur, quippe quae omnes divinas humanasque res ita conformet, ut per consociandos deos cum hominibus se conciliatricem etiam in sedandis Furiis exhibeat. Nec vero propterea secum pugnat *Μοῖρα*, quum Furiis ipsa munus tribuerit illud (*τοῦτο γὰρ λάχος διανταία Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν.* Eum. 332 sq.), quod scilicet mitigari nonnunquam in eadem *μοίρᾳ* positum est. Ita fit, ut ne ipsae quidem Furiae prorsus ab omni modo abhorreant et tempori denique cedant seque conformare patiantur ad voluntatem eorum, quorum proprium est rerum ordinem retinere, atque ab his ipsis hoc est a *Μοίραις*, quibus cognatione etiam conjunctae feruntur (*Μοίρας πατροκασιγνήτας* ib. 947) jam mitigatae omnia bona civibus Atticis promittant.

V. De culpa ejusque in rerum ordine necessitate.

Jam satis muniti nobis videmur esse ad notionem culpae explicandam. Enimvero etiam culpa hominum originem duxit e necessitate quippe quae totam vitam complectatur. Sunt autem hac necessitate certi constituti termini, qui moveri migrarique nullo modo debent. Si quis igitur hominum aliquid admisit, quo illos terminos, quibus mundi lex et harmonia (cf. pag. 7) continetur, transgredi videatur, eum sontem di-

cenus compensationemque fieri et expiationem necesse est. (Pers. 743.) Hanc autem expiationem compensationemque caveamus quam maxime ne nostro civitatumque jure metiamur, sed divina lege nobis saepissime occulta. Haec autem persuasio est, qua omnis mentis acerbitas mitigatur quaque *κάθαρσις* illa efficitur. —

Jam quid sit, quod primum effecerit, ut aliquis via sua aberret, id Aeschylus non aliter sibi explicandum censet nisi ita ut dicat, homines, commissuros videlicet aliquod crimen, occaecari *ἄτῃ*.

Tum autem culpa per se quasi propagatur, sive quod alia ratione poena dari non potest, sive quod inclinatione jam naturali atque hereditaria posteri ad peccata feruntur. Quod quidem longe abest, ut modo in gente Labdacidarum et Pelopidarum cernatur [1]). Imo vero id ad humanum genus pertinet, quod nimirum ei necessitati, cui omnis rerum natura subjecta sit, solum eximi nequit. Quod ad demonstrandam legem Labdacidae et Pelopidae ideo maxime sunt idonei, quod eminent inter ceteros homines et robore et ingenio et nobilitate. —

Restat, ut quae modo demonstravi locis probem, quibus in componendis jam quae addam uon habeo. Agamemnon laudis bellicae cupiditate incitatus quum non dubitasset Iphigeniam immolare, provocavit ultionem Clytaemnestrae: *βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις τάλαινα παρακοπὰ πρωτοπήμων* Ag. 209 sq. cf.: *ὑμνοῦσι δ᾽ ὕμνον δώμασι προςήμεναι πρώταρχον ἄτην.* ibid. 1150. Sed ne Clytaemnestra quidem impune necavit maritum: *δίκην δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλο*

---

1) Dissentio igitur a G. Dronkio, qui hac in re quodammodo eximiam revelatae religionis virtutem sibi premendam persuasum habuit, sic dicens l. l. pag. 55: „Nur noch die schmale Schranke trennte den Dichter von der vollen uns durch Offenbarung gewordenen Wahrheit, dass er das, was er im einzelnen Geschlecht erkannte, nicht auf das ganze Geschlecht der Sterblichen übertrug."

πρᾶγμα θηγάνει βλάβης πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα ibid. 1502. Atque item in Choephoris dum Orestes matrem trucidat a choro ei animus sic additur: *σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ μέρος ἔργων, ἐπαΐσας τε θροοῦσαν πρὸς σὲ, τέκνον, πατρὸς περαίνειν ἐπίμομφον αὐδάν, Περσέως τ' ἐν φρεσὶ καρδίαν σχεθών, τοῖς θ' ὑπὸ χθονὸς φίλοις, τοῖς τ' ἄνω πρόπρασσ' ἰὼν χάριτας ὀργᾶς λυγρᾶς, ἔνδοθεν φοινίαν ἄγαν τιθείς, τὸν αἴτιον δ' ἐξαπολλὺς μόρου* — — — Ch. 813 sq. Sed ea lex, qua culpa ex culpa oritur, ad omnes qui ubique sunt spectat; quod quidem chorus saepissime commemorat: *παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον τεκνοῦσθαι, μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν· ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν. δίχα δ' ἄλλων μονόφρων εἰμί. τὸ δυςσεβὲς γὰρ ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ. οἴκων γὰρ εὐθυδίκων καλλίπαις πότμος αἰεί. φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν ὕβριν τότ' ἢ τότ', ἔστ' ἂν ἐπὶ τὸ κύριον μόλῃ νέᾳ ῥαφᾷ, δαίμονά τε τὰν ἄμαχον, ἀπόλεμον, ἀνίερον, θράσος μελαίνας μελάθροισιν Ἄτας, εἰδομέναν τοκεῦσιν.* Ag. 722 sq. cf.: *τὶς ἂν γονὰν ἀραῖον ἐκβάλοι δόμων; κεκόλληται γένος προςόψει.* (Sic Hermannus nus scripsit, quam tamen lectionem non satis comprobasse mihi videtur.) Posteri nonnunquam sua sibi superbia parant interitum; sed vacui quoque culpa poenas pendunt pro majoribus. Huc pertinet Hermanni in dissertatione de Aristotelis aete poëtica haec sententia: secundum est, si immerentibus inferentur mala. Cujus rei caussam quum mens humana non posset aliam comminisci, nisi ut ista mala ad universi rerum humanarum ordinis conservationem necessaria crederet e. q. s.: *ὁ δὲ μὴ κύρσας βαρέων τέκτων οὐκ οἶδεν ὅθεν πληγαὶ βιότου* * *προςέπαισαν* * *τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν πρὸς τάσδ' ἀπάγει, σιγῶν δ' ὄλεθρος καὶ μέγα φωνοῦντ' ἐχθραῖς ὀργαῖς ἀμαθύνει.* Eum. 918 sq. (Valde

probabilis est Hermanni hujus loci interpretatio.) Eteocles de Amphiarao, qui quamvis ipse sit justus vir sese socium nefariorum hominum fecerit, sic vaticinatur: *φεῦ τοῦ ξυναλλάσσοντος ὄρνιθος βροτοῖς δίκαιον ἄνδρα τοῖσι δυσσεβεστάτοις. ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδὲν, καρπὸς οὐ κομιστέος* (ferendus) *ἢ γὰρ ξυνειςβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ ναύταισι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει, ἢ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν, δίκαιος ὢν, ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσιν, ταὐτοῦ κυρήσας ἐνδίκως ἀγρεύματος, πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ 'δάμη.* Sept 578 sq. Etiam exsecratio pro causa habetur, cur tota genera perpetiantur mala, quamvis exsecrationem non ultimam esse causam appareat. Quo fit, ut dirae Oedipodis etiamsi ipsae non efficiunt interitum Labdacidarum tamen a primario hujus gentis malo ad ejus excidium Oedipodis prolem quodammodo traducant: cf. Sept. 676 sq. ibid. 690. 682. 873. Chorus postquam Eteocles ad certamen cum fratre conserendum exiit: *πέφρικα,* inquit, *τὸν ὠλεσίοικον θεὸν, οὐ θεοῖς ὁμοίαν, παναληθῆ, κακόμαντιν πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινὺν, τελέσαι τὰς περιθύμους κατάρας Οἰδιπόδα βλαψίφρονος· παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει.* Sept. 701 sq. cf. ibid. 720. Origo mali sic aperitur: *παλαιγενῆ γὰρ λέγω παρβασίαν ὠκύποινον αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει, Ἀπόλλωνος εὖτε Λάϊος βίᾳ, τρὶς εἰπόντος ἐν μεσομφάλοις Πυθικοῖς χρηστηρίοις, θνάσκοντα γένας ἄτερ σώζειν πόλιν. κρατηθεὶς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίαις ἐγείνατο μὲν μόρον αὑτῷ, πατροκτόνον Οἰδιπόδαν, ὅςτε μὴ πρὸς ἁγνὰν σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη, ῥίζαν αἱματόεσσαν ἔτλα· παράνοια συνᾶγε νυμφίους φρενώλεις.* ibid. 723 sq. cf. 746 sq. Fratribus certamine singulari caesis chorus *ἐξέπραξεν*, inquit, *οὐδ' ἀπεῖπε πατρόθεν εὐκταία φάτις, βουλαὶ δ' ἄπιστοι Λαΐου διήρκεσαν.* ibid. 820 sq. Supplices in se Junonem iram effundere credunt, quum ab Jo originem ducant: *ὦ Ζὴν, Ἰοῦς ἰῷ μῆνις μάστειρ' ἐκ θεῶν· κοννῶ δ' ἄταν γαμε*

ιᾶς πᾶς οὐρανόνικον. χαλεποῦ γὰρ ἐκ πνεύματος εἶσι χειμών. suppl. 157 sq. cf. 144 sq. et 282—310. Innocentia igitur deorum beneficio datur, quamobrem Danai filiae sic precantur: *ἴδοιτο δῆτ' ἄνατον φυγὰν ἱκεσία Θέμις Διὸς κλαρίου.* suppl. 344 sq.

---

§. 2.

De ratione, quae intercedat inter deos et homines.

I. Quomodo dii hominibus utantur.

A. De justitia deorum.

Jam pervenimus ad eam disputationis nostrae partem, qua ostendere placet, Aeschylum saepissime necessitatis notionem prorsus mittere et quibusdam certis humani ingenii proprietatibus dirigere deos eorumque facta. In quo fati oblivio quodammodo eum cepisse videtur. Quo fit, ut in ratione, quae inter deos et homines intercedat, explicanda ad Homericam illam simplicitatem in praesens saltem redeat. Qua quidem sententia nulla omnino est ratio impar inter peccatum et poenam, imo aequabili mensura dolor compensatur voluptate. Itaque in rebus adversis nihil aliud cernitur nisi poena et ultio deorum, in secundis praemium, quod bonis viris a diis datur. Huc accedit, quod in vita humana et saepissime et celerrime rerum conditio mutatur, quare si vice adversarum rerum eveniunt secundae, in ea vicissitudine ostenditur deorum placabilitas. Nuntius in Persis cladem Xerxis his verbis enarrare incipit: *ἦρξεν μὲν, ὦ δέσποινα, τοῦ παντὸς κακοῦ φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν.* Pers. 348 sq. cf. ibid. 513. Xerxes ipse dicit: *δαίμων γὰρ ὅδ' αὖ μετάτροπος ἐπ'*

ἐμοί ibid. 919. Contra de Cyro umbra Darii ita sentit, ut dicat: θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ Idem in Agamemnone reperitur, quum senes juste questum esse Menelaum erepta Helena ab Alexandro confirment: ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων, ἢ Πάν, ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον ὀξυβόαν, τῶν δὲ μετοίκων ὑστερόποινον πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν. Ag 55 sq. cf ibid. 440. Deinde: φέρει φέροντ', ἐκτίνει δ' ὁ καίνων· μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ ib. 1532 sq. Contra: τὸν κρατοῦντα μαλθακῶς θεὸς πρόσωθεν εὐμενῶς προςδέρκεται ibid. 918 sq. cf.: ποτιτρόπαιον αἰδόμενος οὐ πενεῖ καλλιπότμου τύχας. ἱεροδόκα πέλει θεῶν λῆματ' ἀπ' ἀνδρὸς ἁγνοῦ. Suppl. 347 sq. (ubi Hermannus lacunas ingeniose explevit.) — De facinore Orestis in choephor.: δι' αἵματ' ἐποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνός πέπηγεν οὐ διαρρύδαν. διαλγὴς δ' ἄτα διαφέρει τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν. θιγόντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἑδωλίων ἄκος πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ διαίνοντες τὸν χερομυσῆ φόνον καθαρσίοις ἴοιεν ἂν μάτην. Ch. 58 sq. (cf. ibid. de vi δίκης 53 sq.) Quid significet hoc in loco verbum nutricis, non alienum est explanare; nutrix enim cruorem non modo excipit, sed etiam parit et tamquam homines bibere jubet, ita ut tellus ipsa cujus necis vestigia ostendat neque evanescere sinat, eam quodammodo effecerit. Cf. Schilleri illud: Und Alles ist Frucht und Alles ist Saamen. — Ut effector ultionis etiam Agamemnonis umbra σὺν θεοῖσι καὶ γῇ καὶ δίκῃ νικηφόρῳ invocatur Ch. 141. Cf.: ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προςαιτεῖν αἷμα. βοᾷ γὰρ λοιγὸν Ἐριννὺς παρὰ τῶν πρότερον φθιμένων ἄτην ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ. (Hermanni lectionem non possum probare.) Ch. 395 sq. cf. ibid. 628 sq. Orestes necaturus matrem dicit: ἔκανες ὃν οὐ χρῆν, καὶ τὸ μὴ χρεὼν πάθε hoc est: quadrat poena accurate ad crimen. ibid. 918 cf. Suppl. 388 sq. 420. 781 sq. Ch. 306. Justa poena auctores criminis in Tartaro quoque

exspectat, quin etiam dii inferi dumtaxat nullo pacto falluntur. etsi hac in vita impune aliquis peccaverit, quare Furiae Oresti dicunt: *ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' οὐκ εὐσεβῶν ἢ τοκέας φίλους, ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια· μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν ἔνερθε χθονός, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί* Eum. 266 sq. cf. Suppl. 215 sq. Furiae quatenus amore justitiae ducuntur nihil aliud agunt nisi id, ut poenam a sontibus petant: *εὐθυδίκαιοί θ' ἡδόμεθ' εἶναι· τοὺς μὲν καθαρὰς καθαρῶς χεῖρας προνέμοντας οὔτις ἐφέρπει μῆνις ἀφ' ἡμῶν, ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ ὅστις δ' ἀλιτὼν, ὥσπερ ὅδ' ἀνὴρ, χεῖρας φονίας ἐπικρύπτει, μάρτυρες ὀρθαὶ τοῖσι θανοῦσιν παραγιγνόμεναι πράκτορες αἵματος αὐτῷ τελέως ἐφάνημεν.* Eum. 309 sq. Itaque haec dant praecepta: *ἐς τὸ πᾶν δέ σοι λέγω, βωμὸν αἴδεσαι δίκας, μηδέ νιν, κέρδος ἰδών, ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς· ποινὰ γὰρ ἐπέσται, κύριον μένει τέλος. πρὸς τάδε τις τοκέων σέβας εὖ προτίων ἑκὼν δ' ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται, πανώλεθρος δ' οὔ ποτ' ἂν γένοιτο* e. q. s. ibid. 529—54. Minervae inprimis placabilitas est propria; quare e Furiis quaerit: *καὶ τῷ κτανόντι ποῦ τὸ τέρμα τῆς φυγῆς;* Eum 414 et appellat Orestem *σεμνὸν προσίκτορα.* ibid. 433. Supplices regem Argivorum secum reputantem, ipsaene adjuvandae sint, justitiae deorum non immemorem esse jubent: *ἴσθι γάρ, παισὶ τάδε καὶ δόμοις, ὁπότερ' ἂν κτίσῃς, μένει δορὶ*[1]) *τίνειν ὁμοίαν θέμιν. τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.*

B. De invidia quadam deorum.

Quod apud Herodotum saepissime legitur, deum esse invidiosum (cf. Her. I, 32. III, 40—42 et alia), id ita esse non

---

1) Hermannum effugisse videtur, quid sibi velit *δορὶ*, quod mea sententia hoc in sententiarum connexu ne ornandae quidem orationis causa recte poni videtur. Itaque Aeschylum scripsisse *τινὶ* conjicerem, si ordo verborum: *μένει τινὶ τίνειν* ingrato non laboraret sono.

infitias it Aeschylus. Quamquam quum in plurimis ad religionem pertinentibus sententiis ab Herodoteo colore differt, tum in enarrando illo *φθονερῷ θεῷ*: rarius enim hujus deorum proprietatis mentionem facit, ita, ut inter religiosas Aeschyli sententias minus insignem quam apud Herodotum illud locum habuisse non injuria dixeris. Attamen e locis huc referendis haec fere licet colligere. Dii hominibus summam felicitatem invident, quare magis convenit hominibus quandam mediocritatem in bonis fruendis tenere. Itaque Xerxen invidiae deorum immemorem fuisse, nuntius in Persis dicit: *οὐδὲ τὸν θεῶν φθόνον* Pers. 357. Diana est et sancta et invidiosa: *οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνά* Ag. 126. De Agamemnone a Troja deleta redeunte non possunt facere senes, quin iram immortalium deorum pertimescant, quamobrem dicunt: *τὸ δ' ὑπερκόπως κλύειν εὖ βαρύ· βάλλεται γὰρ ὄσσοις Διόθεν κεραυνός. κρίνω δ' ἄφθονον ὄλβον. μήτ' εἴην πτολιπόρθης, μήτ' οὖν αὐτὸς ἁλοὺς ὑπ' ἄλλων βίον κατίδοιμι.* Ag. 448 sq. Quibus assentiri videtur ipse Agamemnon secum reputans, neminem ante mortem esse beatum: *ὀλβίσαι δὲ χρὴ βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ.* ibid. 895. Res lautas si quis habet, eo ipso suspicionem quandam movet, itaque paupertas manifeste laudatur: *Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυςκάπνοις δώμασιν, τὸν δ' ἐναίσιμον τίει βίον. τὰ χρυσόπαστα δ' ἔδεθλα σὺν πίνῳ χερῶν παλιντρόποις ὄμμασι λιποῦσ' ὅσια προςέμολε, δύναμιν οὐ σέβουσα πλούτου παράσημον αἴνῳ· πᾶν δ' ἔπι τέρμα νωμᾷ* ibid. 741 sq. Quin etiam qui redundant divitiis optime sibi consulent, si sua sponte aliqua ex parte earum fecerint jacturam: *μάλα γέ τοι τὸ πολέος γ' ὑγιΐας ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ ἀεὶ γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει, καὶ πότμος εὐθυπορῶν ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα κ. τ. λ.* Ag. 968—980. Quod quidem transfertur ad animi ingeniique facultates; enimvero optabilius est, si quis exigua praeditus est prudentia conjuncta illa quidem cum probitate quam magno ingenio, quo nefarie utatur. Ar-

givorum rex *θέλω*, inquit, *δ' ἄϊδρις μᾶλλον ἢ σοφὸς κακῶν εἶναι* suppl. 435. Ex invidia oritur voluptas quaedam deorum, si quis succubuit cessitque fortunae nec tamen desiit frustra reluctari: *γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ* Eum. 549 et *τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται, φόνῳ βροτῶν.* Sept. 227 cf. Suppl. 617.

C. De dolo quodam divino.

Si quaeritur, quid causae sit, cur plerumque homines mala et perpetiantur ipsi et inferant aliis, rectissime afferatur quaedam mentis caecitas, quam Graaci *ἄτην* vocant. Cujus notio quam late pateat, Lehrsius acutissime demonstravit Popul. Aufs. pag. 221 sq. Sed hoc quidem loco ab ea dumtaxat parte *ἄτην* ponderamus, qua cum fato eam cohaerere invenimus. Dicimus enim eam *ἄτης* vim, qua homines quominus libero arbitrio utantur prohibentur. Quod qui fiat si intellexerimus, simul calliditate deorum quadam nonnunquam homines falli videbimus. Sed quid attinet, nostris verbis ea exponere, quae ipse Aeschylus satis luculenter explanavit? Sane quidem ea maxime tragoedia, qua poëta Persas clade afflictos in scenam produxit, quid de dolo divino senserit, non ambigue ostendit. Xerxes enim juvenis rex idemque summis opibus munitus eo excusatur, quod deceptus sit suae ipsius potentiae specie nec quibusdam illecebris superbiae non potuerit obtemperare: *δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει; τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πήδημ' ἅλις εὐπετῶς ἀνάσσων; φιλόφρων γὰρ ποτισαίνουσα τὸ πρῶτον παράγει βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτα, τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲκ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.* Pers. 94 sq. Cf. de ipsis Xerxe et Persis: *ὦ στυγνὲ δαῖμον, ὡς ἄρ' ἔψευσας φρενῶν Πέρσας· πικρὰν δὲ παῖς ἐμὸς τιμωρίαν κλεινῶν Ἀθηνῶν εὗρε* ibid. 467 et *ὧδ' ἔχει γνώμης δὲ πού τις δαιμόνων ξυνήψατο — φεῦ, μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.* ibid. 725 sq. Dolosus deus ne prodere quidem mortales dubitat: *θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφυς, εἴ τι μὴ δαίμων παλαιὸς νῦν μεθέστηκε*

στρατῷ, quod quidem senes Atossae reginae dicunt, priusquam devictos Persas audierunt. Pers 156 sq. Virgines in Sept. instantibus hostibus quaerunt: *προδιώσεις, παλαίχθων Ἄρης, γᾶν τεάν*; Sept 100. — Quod Orestes ultionem paraturus clam domum rediit, in eo *ἔμολε δ' ᾧ μέλει κρυπταδίου μάχας δολιόφρων ποινά* Ch. 934. Furiae a se ipsis appellantur *εὐμήχανοί τε καὶ τέλειοι*. Eum. 373. De Venere supplices: *τίεται δ' αἰολόμητις* (callida) *θεὸς ἔργοις ἐπὶ σεμνοῖς*. suppl. 1005.

II. Quomodo fatum quod dicitur cum pietate non pugnet.

A. De humana debilitate.

Homines per se si consideravimus neque alio quodammodo modulo eorum facultates mensi erimus nisi ipsa humana natura, permultos virtute excellentes praeditosque et corporis robore et ingenii abundantia esse inveniemus. Contra si mens humana ad fatum et deos exigitur, ejus infirmitas vel in hominibus ingeniosissimis luce clarius apparet, nedum de corporis fragilitate dicam. Sed una potissimum afferenda est causa, propter quam Aeschylus homines imbecillos atque *ἐφαμερίους* (Prom. 545) esse saepe solet affirmare: dicimus ignorationem rerum futurarum et opinionum commenta ad eas pertinentia: quae ipso verbo *ἐφαμερίων* significantur[1]). Qua ex inscientia summa animi perturbatio oritur et ea opinionum perversitas, qua homines vera bona a falsis separare nequeunt. Propterea quum homines a natura ita sint conformati, ut quodammodo defixi in punctis temporis in diem vivant, non potest fieri, quin varietati fortunae subjecti, prout quasi aura flaverit, vel dolorem tolerent vel voluptate fruantur. Num

---

1) Cf. *ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος* Pind, Pyth. VIII, 95 et: *ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.* Soph. Aj. 125.

igitur quidquam potest reperiri, quod magis nutet minusve stabile sit quam vita humana? Itaque mors, ut quae ob omni dolore homines liberet, optabilis est eoque magis, quo gloriosius obibitur. — Jam ad singulos pervenimus locos. Xerxes inflatus superbia ab exercitu suo Graecis apud Salamina insidias parari jussit, ne quidquam praetermitteret, quo victoriam sibi pararet. At vero quid evenit? Audiamus nuntium: *τοσαῦτ' ἔλεξε κάρθ' ὑπ' ἐκθύμου φρενός· οὐ γὰρ τὸ μέλλον ἐκ θεῶν ἠπίστατο,* Pers 367 sq. cf. suppl 84: *δαυλοὶ γὰρ πραπίδων δάσκιοί τε τείνουσι πόροι κατιδεῖν ἄφραστοι* cf. ibid. 110 et 1028 *σὺ δέ γ' οὐκ οἶσθα τὸ μέλλον.* Dum Orestes patrat matricidium, chorus pariter et Clytaemnestram et Orestem deplorat, quum utrumque magis pati quam facere arbitretur simulque hoc in discrimine rerum sollicitus de rebus futuris deprecatur deos, ne plus sanguinis Atridarum effundatur: *στένω μὲν οὖν καὶ τῶνδε συμφορὰν διπλῆν· ἐπεὶ δὲ πολλῶν αἱμάτων ἐπήκρισεν τλήμων Ὀρέστης, τοῦθ' ὅμως αἱρούμεθα, ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν.* Ch. 919 sq. Similiter Furiae de insolentia hominum dicunt eorum, qui saepissime in perniciem necopinato et sine ulla praesagitione praecipitantur: *πίπτων δ' οὐκ οἶδεν τόδ' ὑπ' ἄφρονι λύμᾳ. τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται, καὶ δνοφεράν τιν' ἀχλὺν κατὰ δώματος αὐδᾶται πολύστονος φάτις.* Eum. 369 sq. Ne bestiae quidem et quidquid horrendi a natura procreatum est tantae sunt immanitatis, ut homines vehementi cupiditate inflammatos aequent. Sed ea animi perturbatio mentis aciem praestringit ideoque quamvis primo conspectu firma et violenta esse videatur, revera haud multum abhorret a debilitate, quum praesertim diis fatalibus resistere nullo pacto possit: *ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λόγῳ καὶ γυναικῶν φράσει τλημόνων παντόλμοις ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν συζύγους θ' ὁμαυλίας; θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ κνωδάλιόν τε καὶ βροτῶν* (in explicando *παρανικᾷ* dissentio ab Hermanno, qui *πάρα νείκᾳ* legi vult) Ch. 587 sq. cf. Soph.

Ant. 332 sq. Oceanides pertinaci Prometheo dicunt: ὦ φίλος, εἰπὲ ποῦ τις ἀλκή; τίς ἐφαμερίων ἄρηξις; οὐδ' ἐδέρχθης ὀλιγοδρανίαν, ἄκικυν, ἰσόνειρον, ᾇ τὸ φωτῶν ἀλαὸν δέδεται γένος ἐμπεποδισμένον; Prom. 544 sq Contra dii impavidum semper habent animum neque unquam de statu dejiciuntur, quamobrem Minerva ne Furiarum quidem aspectu perturbata est, imo summam retinet tranquillitatem: καινὴν δ' ὁρῶσα τήνδ' ὁμιλίαν χθονὸς ταρβῶ μὲν οὐδὲν, θαῦμα δ' ὄμμασιν πάρα. Eum. 398 sq. Quae differentia sit inter deos et homines, saepe et ubique ante oculos ponitur; id quod omnibus locis fieri concedendum est, quibus vocabula, quae sunt ἄνθρωποι, βροτοί, ἀνθρώπινα et similia considerata opposita sunt rerum divinarum conditioni: ἀνθρώπεια δ' ἄν τοι πήματ' ἂν τύχοι βροτοῖς Pers. 707. τί τῶνδ' ἄνευ κακῶν; Ag. 198. ἰὼ βρότεια πράγματ'· εὐτυχοῦντα μὲν σκιά τις ἂν πρέψειεν, εἰ δὲ δυςτυχῇ, βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν. καὶ ταῦτ' ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ Ag. 1287 sq. (Summopere probanda est Hermanni interpretatio hujus loci cf. Herm. Aesch. Tom. II, p. 476) τίς δὲ πλὴν θεῶν ἅπαντ' ἀπήμων τὸν δι' αἰῶνος χρόνον; ibid. 531. οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον διὰ πάντ' εὔθυμος ἀμείψει Ch. 1013 sq. cf. suppl 88—92. Summa felicitas ideo est periculosa, quod facillime in contrarium commutari potest; en praeclarum exemplum Agamemnonis subita nece occumbentis: τὸ μὲν εὖ πράσσειν ἀκόρεστον ἔφυ πᾶσι βροτοῖσιν· δακτυλοδείκτων δ' οὔτις ἀπειπὼν εἴργει μελάθρων, μηκέτ' ἐςέλθῃς, τάδε φωνῶν κ. τ. λ. quae dicit chorus, postquam modo rex limen regiae intravit Ag. 1291—1302. Nimium igitur plerumque ab hominibus tribuitur felicitati: τὸ δ' εὐτυχεῖν, τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον. ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκας ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει, τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει χρονίζοντ' ἀτυχῆ, τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ. Ch. 51 sq. Itaque Cassandra ita sentit, ut dicat: ἀλλ' εὐκλεῶς τοι κατθανεῖν χάρις βροτῷ Ag. 1262. cf. suppl. 771: τὸ γὰρ θανεῖν

ἐλευθεροῦται φιλαιάκτων (ejulatus cientium, Wellauer vertit) *κακῶν.*

B. De timore et verecundia deorum.

Totos se pendere ex arbitrio deorum homines quum sentiant, impii esse erga deos non magis in rebus adversis quam in secundis debent. Sed in adversis primum timor homines dolore cruciatos teneat suspensos necesse est. Quo ipso quasi cumulus ad calamitatem accedit, quod miseri illi omni carent spe certa bonaque nec vident, quo pacto e praesentibus malis evasuri sint. Sed progrediente tempore doloris quasi aculeis paulatim hebetatis timorem excipit spes et fiducia. Unde intelligitur, timorem deorum esse proprium humanae naturae. Num igitur quisquam invenietur, qui miretur, quod Aeschylus hominum pietatem erga deos explicans timori non minus quam aliis affectibus justum permisit locum? Quanquam timor propria significatione eam habet vim, ut homines imminentibus malis solliciti sint, tamen nobis quidem liceat hoc verbo uti cogitantibus de universa religione, qua dii colendi sunt, exceptis obedientia et fiducia iisque affectibus, qui ad optimum omnium rerum exitum pertinent. In quo videlicet nonnunquam quid sit, quod aut timoris aut reverentiae aut verecundiae aut obedientiae aut fiduciae prae se ferat speciem haud facile distingui poterit, quum ea omnia arcte cohaerere manifestum sit. Qua de affectuum cognatione convenit in singulis locis exponendis subtilius disputare, quod quidem a nostra dissertatione alienum est. Cavendum est autem, ne obliviscamur, ab Aeschylo semper omnem verecundiam ad deorum timorem reduci. Quamobrem non tam quandam verecundiam legum quam deorum dicit, etiamsi ipsos deos non ubique nominet. Quae verecundia quam penitus inhaerescat in hominum animis, ex eo apparet, quod in ipso rerum discrimine ne verba quidem sermonis nullius momenti esse putant: *εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ γλώσσῃ μιαίνειν. χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν* Ag. 614 sq. Si quis deos coluerit, is optimum eo ipso

sibi consulet. Nam verecundia iram deorum averruncat. Lemniarum feminarum facinore cum Clytaemnestrae scelere comparato sic pergunt virgines in Choeph. *θεοστυγήτῳ δ' ἄγει βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος· σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυςφιλὲς θεοῖς* 625 sq. cf.: *ἄξια δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν.* ibid. 954, *ἔσθ' ὅπου τὸ δεῖνον αὖ τις φρενῶν ἐπίσκοπον δειμανεῖ καθήμενον* Eum. 510. *τίς δὲ μηδὲν ἐν δέει καρδίαν ἔτ' ἀναιρέφων, ἢ πόλις βροτὸς θ' ὁμοίως, ἔτ' ἂν σέβοι δίκαν;* ibid. 515 sq. Minerva et ipsa dicit: *τὸ μή δ' ἄναρχον μηδὲ δεσποτούμενον ἀστοῖς περιστέλλουσι βουλεύω σέβειν, καὶ μὴ τὸ δεινὸν πᾶν πόλεως ἔξω βαλεῖν. τίς γὰρ δεδοικὼς μηδὲν ἔνδικος βροτῶν;* ibid. 691 sq Athenas quum cetera Graecorum oppida pietate erga deos superare Furiae arbitrentur, laudibus efferunt eas neque indignus habent, in quibus et domicilium et cultum habeant: *οὐδ' ἀτιμάσω πόλιν, τὰν καὶ Ζεὺς ὁ παγκρατὴς Ἄρης τε φρούριον θεῶν νέμει, ῥυσίβωμον Ἑλλάνων ἄγαλμα δαιμόνων* ibid. 904. cf.: *δεινὸς ὃς θεοὺς σέβει.* Sept. 577. *δαιμόνων σέβας ῥῦμα πολέμου τειρομένοις καὶ φυγάσιν.* suppl. 75. Etiam canticum totum Oceanidum Prom. 528 sq. huc pertinet. Danaus filias his verbis erigere studet: *κρείσσων δὲ πύργου βωμός, ἄρρηκτον σάκος* Suppl. 176 et: *θάρσει, χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην* ibid. 702 sq. *καλῶς ἂν ἡμῖν ξυμφέροι ταῦτ', ὦ τέκνα, εἰ σοί τε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.* ibid. 723 sq. Etenim si quis deos neglexerit, eo ipso eos, quos injuriis affecturus est, quodammodo adjuvabit, quum ipse sibi perniciei sit. cf.: *Χορ. ἀλλ' ἡ δίκη γε ξυμμάχων ὑπερστατεῖ. Βασ. εἴπερ γ' ἀπ' ἀρχῆς πραγμάτων κοινωνὸς ἦν* ibid. 328 sq. *Βασ. πέφρικα λεύσσων τάσδ' ἕδρας κατασκίους. Χορ. βαρύς γε μέντοι Ζηνὸς ἱκεσίου κότος.* ibid. 330 sq. cf. ibid. 370, quo loco aliter atque Hermannus scripserit legendum puto, et quidem non *δυςπαράθελκτος*, sed *δυςπαράθελκτοις.* — Qui calamitate afflicti sunt, adeo demittunt animum, ut jam

etiam plus sibi miseriae impendere putent, quare deos iratos invocant: *ἀλλ' εἰδότας μὲν τοὺς θεοὺς καλούμεθα. οἵοισιν ἐν χειμῶσι ναυτίλων δίκην στροβούμεθ'.* (Sic Hermannus verborum ordinem immutavit.) Ch. 197 sq. cf.: *ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ', ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε* Sept. 86. cf.: *ὦ χρυσοπηληξ δαῖμον, ἔπιδ', ἔπιδε πόλιν, ἅν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.* ibid. 102. *Ζεῦ πάτερ παντελές* ibid. 110. *σύ θ' ἵππιος ποντομέδων ἄναξ ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ, Ποσειδᾶν, ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου* ibid. 123 sq. *Κύπρις* ibid. 127. *Ἄρτεμι φίλα* ibid 134. *ὦ πότνι' Ἥρα* ibid. 137. Nec minus in summa felicitate ne prope adsit deorum ultio pertimescendum est iis, qui sciunt, mortalibus modum in omnibus rebus et declinandis et appetendis a diis constitutum esse [1]). Itaque Agamemnon Clytaemnestrae nimio honore eum ornanti dicit: *θεούς τοι τοῖσδε τιμαλφεῖν χρεών· ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσιν βαίνειν ἐμοὶ μὲν οὐδαμῶς ἄνευ φόβου.* Ag. 889 sq.

C. De obedientia hominum eorumque fiducia in diis posita.

Si omnia fieri fato constat, in una eademque lege universus rerum ordo est positus [2]). Quare proprie vereque quae dicitur quaestio de hominum obedientia supervacanea videtur, quum per se intelligatur, in fati immenso mari homines quasi periisse. Qui igitur de hominum obedientia disputari potest ab eo, cui homines omnino nihili esse persuasum sit? Ad haec dupliciter dicendum est: primum enim Aeschylus non pro subtilitate philosophorum in notionibus distinguendis versantium

---

1) Si quis putet, ea omnia magis ad debilitatem spectare, is cogitet de arcto vinculo, quo debilitas cum timore conjuncta sit.

2) Propterea quod A. W. Schlegelius dixit, antiquos tragicos homines pugnantes cum fato fecisse, vereor, ne, ut assolet, elegantius quam subtilius a viro ingenioso dictum sit. Ceterum Schlegelii sententiam huc pertinentem acutissime refutavit Gruppe l. l. p. 723.

ponderandus est, deinde ne est quidem omnis obedientiae notio abjicienda ei, qui fati notionem persecutus erit. Consentaneum est enim, inesse aliquid in mente humana, quod saepissime impedit, quominus homo ipse secum consentiat, contra quum fatum sibi repugnare cogitari nequeat. Itaque omni ex parte quidem obedientem esse eum tantum dicemus, qui pariter secum consenserit ac fatum. Inde liquet, permultos quasi gradus esse obedientiae, prout aliquis se cum uno eodemque fato omnium rerum efficienti conspirare senserit. Aeschylus quidem ut poëta homines facit obedientes singulis diis, in quo et ipse per gradus partitur homines. Quorum scilicet alteri quamvis inviti obsequuntur Necessitati, alteri quum sperent fore, ut omnia ad optimum ducant exitum, libentissime atque ex animi sententia dii morem gerunt.

Maximo distant intervallo dira Necessitas et voluntas Promethei obedientis videlicet legi fatali sed invito animo verbisque renitentibus. Cogitur enim Prometheus a fatali necessitate ipsius dicto audiens esse et parere, quum plane diverso teneatur desiderio ab eo quod in praesentia quidem ab *Εἱμαρμένη* sibi expletum iri intelligit. Itaque sperat fore, ut vetustate dolor hebescat atque exolescat varietatemque omnium rerum secum reputat: *ταὐτά τοι πλανωμένη πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει* Prom. 277 sq. cf. 960 et 985. *τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ' ὅτι τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ' ἀδήριτον σθένος.* ibid 103 sq. Sed dii quum in universum faveant hominibus, aequo animo iis etiam dolores sunt ferendi, quare Atossa: *ὅμως δ' ἀνάγκη πημονὰς βροτοῖς φέρειν, θεῶν διδόντων* cf. suppl. 1019 sq. 1027. 1028. 1029—30. 1031. 1032—33. 1039. Quamquam eam fiduciam in diis positam incredibile dictu est quam difficile sit in rebus adversis semper paratam habere. Id quod ostendunt senes Argivi dicentes de Trojano bello malisque cum eo conjunctis: *αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω* Ag. 131. *Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον*

κεκλημένῳ, τοῦτό νιν προςεννέπω κ. τ. λ. [1]) ibid. 149 sq. Ac profecto ii, qui non diffisi sunt deorum patrocinio, non falluntur neque a diis destituuntur. Quare quum Orestes Apollini adhortanti: *μέμνησο, μὴ φόβος σὲ νικάτω φρένας* (Eum. 91) fidem habeat, experitur deorum placabilitatem. Nam ipse Apollo affirmat: *δεινὴ γὰρ ἐν βροτοῖσι κἀν θεοῖς πέλει τοῦ προςτροπαίου μῆνις, εἰ προδῷ σφ' ἑκών.* ibid. 232, id quod Minerva ratum facit: *ἄμομφον ὄντα* (Orestem) *δ' αἰδοῦμαι πόλει* ibid. 466. Quod quum ita se habeat, Orestes acquiescit in deorum benevolentia quamvis a Furiis vexatus. Confugit igitur ad Minervam *ἀλάστωρ* („quem vindicta divina persequitur." Wellauer) *Λοξίου κελεύσμασιν* ibid. 234 et *σώζων ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους* ibid. 240 cf. 294 sq. *οὐκ εἰμὶ προςτρόπαιος, οὐδ' ἔχει μύσος πρὸς χειρὶ τἠμῇ τὸ σὸν ἐφημένου βρέτας* ibid. 437 sq cf. 460 sq. Etiam coram Areopagitis Apollinem pro se optime dicturum esse credit: *ἤδη σὺ μαρτύρησον. ἐξηγοῦ δέ μοι, Ἄπολλον, εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον. δρᾶσαι γὰρ ὥσπερ ἐστὶν οὐκ ἀρνούμεθα* (qui pluralis est elegantissimus hoc quidem loco, quod communitatem deorum et hominum libere significat), *ἀλλ' εἰ δικαίως εἴτε μὴ τῇ σῇ φρενὶ δοκεῖ, τόδ' αἷμα κρῖνον, ὡς τούτοις φράσω* ibid. 599 sq. Minerva igitur liberato Oreste hoc confirmat: bonum semper evincere: *νικᾷ δ' ἀγαθῶν ἔρις ἡμετέρα διὰ παντός.* ibid. 959 sq.

---

1) cf. Welcker, Griech. Götterlehre pag. 271. Anm. 19.

§. 3.

De rerum humanarum ratione.

I. De praecipua quarundam legum sanctitate.

Jam reliquum est, ut demonstremus, quid Aeschylo visum sit necessarium esse ad ipsam vitam humanam omnes in partes recte conformandam. Quo pertinent quaedam leges eo sanctiores, quo magis iis quodammodo tamquam fundamentis omnis res publica innitatur. Quam ad constituendam eorum animi praeparati erunt, qui tria haec praecepta observarint: dicimus primum cultum deorum patriorum, deinde pietatem erga parentes, denique sanctitatem hospitii. Quantopere intersit eas sequi leges, intelligi potest ex eo, quod Danai filiae hospitio Argivorum utentes nihil pro salute eorum sibi optandum esse praeter illarum legum verecundiam ducunt cf. Suppl. 671 sq. Orestes, ut supra demonstravimus, impius erga matrem sit necesse est, ut pietati erga Agamemnonem satisfaciat: *παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι θανόντι* e q. s. Ch. 449 sq. Itaque Furiae interrogatae, quid sit causae, cur Clytaemnestram pariter atque Oresten non persecutae sint, respondent: *οὐκ ἦν ὅμαιμος φωτὸς ὃν κατέκτανεν* Eum. 595. Quae sanctitas non modo ad pietatem liberorum erga parentes sed etiam ad omnes, qui sanguine conjuncti sunt, pertinet. Nam virgines Thebanae Eteoclem praemonent, ne cum fratre ineat pugnam: *ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος, οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος* (nunquam senescit hoc piaculum, expiari non potest. Wellauer.) Sept. 662 sq. Denique quod attinet ad venerationem, qua deos patrios prosequi fas est, praeco ex Aegypto veniens a Danai filiis monetur, ut *θεοὺς ἐγχωρίους* veneretur, sed negat id se decere: *οὔτοι φοβοῦμαι δαίμονας τοὺς ἐνθάδε· οὐ γάρ μ' ἔθρεψαν, οὐδ' ἐγήρασαν τροφῇ* suppl 858 sq. cf. 887 sq.

II. De superbia sive de notione ὕβρεως.

In universum de superbia, quam Graeci ὕβριν vocant, Lehrsius (Populäre Aufs. pag. 59) sic judicat: „es ist diese Vorstellung der eigentliche Angelpunkt ihrer religiösen Moral.“ Quod, puto, ita intelligi vult, ut qui semper ab ὕβρει vacuus et integer sit, eo ipso omnibus fungatur officiis iis, quibus honesta vitae actio contineatur. Propterea si quis eas quas modo commemoravimus leges neglexerit, is ὕβριν in se admittet. Quomodo hospitii sanctitas e quadam modestia contraria ὕβρεως proficiscatur, ibidem Lehrsius ingeniose explicavit: „die grosse Heiligkeit des Gastrechts beruht auf dem Gefühl, den Fremdling und Bedürftigen, selbst wo er ein unangenehmer Gast sein könnte, gegen **vermessene** Behandlung zu schützen,“ ibid. pag. 54. Nec vero obliviscamur, ipsam superbiam ab Aeschylo non tam peccatum haberi, quod homines illa laedantur, quam quod dii: id quod Lehrsius dicendo exprimit utens verbis, quae sunt: religiöse Moral. Enimvero ὑβριτής qui recte dicitur tantos sumit spiritus, ut terminos illos a diis fatalibus constitutos se quasi transilire posse opinetur. In quo quantopere erraverit, non poterit facere, quin intelligat, quum confestim quasi habenas animi remittere cogatur: ἀλλ᾽ ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς συνάπτεται Pers. 743. Jam apparet, ὕβριν esse sensum quendam, qui in ipso animo ejus, qui culpam admissurus est, oritur stimulatque eum, ut contra fatum reluctetur. Xerxes igitur superbit in bello contra Graecos gerendo, quod ipsius potentiae neque homines neque deos resistere posse opinatur. Quare sero Darii umbra queritur: φεῦ, ταχεῖά γ᾽ ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἐς δὲ παῖδ᾽ ἐμὸν Ζεὺς ἀπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων κ. τ. λ. Pers. 740—752. Ac pater Xerxis moleste fert, quod filius ipsum monentem, ut caveat ὕβριν, non audit: Ξέρξης δ᾽ ἐμὸς παῖς νέος ὢν νέα φρονεῖ, κοὐ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς ibid. 783 sq. et Persas clade afflictos arbitratur dare ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημά-

των ibid. 810. Denique optat, ut posteri exemplo eo docti nunquam similibus erratis se irretiant: *νεκρῶν δὲ θῖνες καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασιν βροτῶν ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν κ. τ. λ.* ibid. 820 - 830. cf. Lehrs, l. l pag. 55. — Paris quum Helenam ad se pellexisset, *ὕβρεως* poenas dare eum oportuit et duplicis quidem *ὕβρεως*, et hospitii violati et feminae pellectae et corruptae: in qua ipsa re *ὕβρεως* vocabulum proprium: cf. Lehrs, l. l. pag. 56 Anm. Quamobrem senes Argivi Trojano bello perfecto respicientes ejus causas sic dicunt: *οὐκ ἔφα τὶς θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν, ὅσοις ἀθίκτων χάρις πατοῖθ᾽. ὃ δ᾽ οὐκ εὐσεβής. κ. τ λ.* Ag. 354—85. — Furias quod Athenienses singulari cultu prosequuntur, earum dearum venerationem omitti nolunt, quas sciunt superbos homines punire. Nam Furiae ajunt: *δόξαι τ᾽ ἀνδρῶν καὶ μάλ᾽ ὑπ᾽ αἰθέρι σεμναὶ τακόμεναι κατὰ γᾶς μινύθουσιν ἄτιμοι ἡμετέραις ἐφόδοις μελανείμοσιν, ὀρχησμοῖς τ᾽ ἐπιφθόνοις ποδός.* Eum. 565 sq. Contra expedit semper modestum esse; quare Furiae hominibus modestis felicitatem promittunt: *ξύμμετρον δ᾽ ἔπος λέγω, δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως· ἐκ δ᾽ ὑγιείας αὖ φρενῶν ὁ πάμφιλος καὶ πολύευκτος ὄλβος.* ibid. 524 sp. Itaque Eteocles cum Tydeo virum *μάλ᾽ εὐγενῆ τε καὶ τὸν Αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα καὶ στυγοῦνθ᾽ ὑπέρφρονας λόγους* dimicare jubens sperat fore, ut sibi prosperum habeat eventum pugna. Sept. 390 sq. Etenim superbiam alicujus hostibus utilitati esse manifestum est, quia *τῶν τοι ματαίων ἀνδράσιν φρονημάτων ἡ γλῶσσ᾽ ἀληθὴς γίγνεται κατήγορος.* ibid. 419, quamobrem sibi aliquid emolumenti afferre *ὕβριν* Capanei Eteocles arbitratur. Cf.: *ὡς δ᾽ ὑπέραυχα βάζουσιν ἐπὶ πτόλει μαινομένᾳ φρενί, τώς νιν Ζεὺς νεμέτωρ ἐπίδοι κοταίνων* ibid. 464 sq. et *ἰάπτει δ᾽ ἐλπίδων ἀφ᾽ ὑψιπύργων πανώλεις βροτούς* (sc. *Ζεύς*) Suppl. 86 sq.

III. De quadam singularum rerum compensatione. Ex ea ad res publicas translata quid sequatur.

Singulae res ne falso neve ab una tantum parte considerentur, suo quaeque in universo rerum ordine loco quid valeat, quaerendum est. Quod si fecerimus, legem quandam compensationis a singulis diis muneribus quasi distributis semper observatam esse inveniemus, etiamsi nonnunquam consilium deorum investigare pro nostra quidem imprudentia non possimus. Nam dii ad salutem mortalium efficiendam alii alio funguntur munere, quum e sua quisque indole mandata *μεγάλης Μοίρας* exsequantur. Illa compensationis lex, quae mortales divinitus ducit, perspicue in variis quos Jonem perpeti oportet casibus cernitur: Juno enim eam crudelissime vexabat (Suppl. 548), quae crudelitas quodammodo reparata est amore Jovis mortalem feminam facientis beatam, quare dolore in dulcissimam maestitiam commutato (suppl. 562) peperit Epaphum Jovis satu editum, ex quo originem se trahere Danai filiae gloriantur per illum scilicet Jovem ipsum cognatione attingentes [1]). Quin etiam vicissitudines munerum non modo ad deos ipsos pertinent, verum etiam ad quandam conjunctionem, qua et homines diis et dii hominibus egent. Propterea diis ita sacrificium vovetur, ut cum eo auxilium divinum compensandum videatur, quare Eteocles patrios invocat deos sic: *γένεσθε δ' ἀλκή· ξυνὰ δ' ἐλπίζω λέγειν· πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει.* Sept. 76 sq.

---

1) *λαβοῦσα δ' ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ γείνατο παῖδ' ἀμεμφῆ, δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον· ἔνθεν πᾶσα βοᾷ χθών· φυσίζοον γένος τόδε Ζηνός ἐστιν ἀληθῶς·* Suppl. 564 sq. mirabiliter interpretatus est Droysenius *πάνολβον*, scribens hunc versum: „der endlos ew'gen Zeiten Heiland!" quasi vero ei licuisset quandam tectam Christi significationem suspicari, vel vocabuli *πάνολβον* significationem torquere!

cf. ibid. 254 sq. Haec autem mundi cohaerentia, qua nihil solitarium esse ac quodammodo perstare in se ipso potest, ad rempublicam conformandam ab Aeschylo traducitur In quo quod Aeschylus docebat, id eo magis spectatoresarridere oportuit, quod et ipse poëta igni probatus erat neque Athenienses e bello Persico documentum sibi capere non potuerant. Quamobrem sane, si quemquam, Aeschylum decuit cives hortari, ut unusquisque semper totam rempublicam spectaret neu dubitaret pro patria vitam profundere. Id quod iis verbis inculcatur, quae Areopago instituto summa cum gravitate dicuntur: *χάρματα δ' ἀντιδιδοῖεν κοινοφιλεῖ διανοίᾳ, καὶ στυγεῖν μιᾷ φρενί, πολλῶν γὰρ τόδ' ἐν βροτοῖς ἄκος.* Eum. 966 sq. Ex quo efficitur, eos, qui requiem perpetuam vel aeternam pacem somnient, quamvis invitos rapi in motus populi. Enimvero ut universo rerum ordine quidquid continetur id semper movetur neque ullo modo sese subtrahere potest legi fatali, ita in republica omnes sunt cum omnibus conjuncti eamque ob causam otium plerumque illicitum. Recte igitur Droysenius dicit: „den frommen Wunsch, eine begonnene Entwickelung in irgend einem Punkte gehemmt und zu einer glückseligen Zuständlichkeit ausgebreitet zu sehen, widerlegt jedes Drama des grossen Dichters selbst und nicht minder das grosse Drama seiner vaterländischen Geschichte. Aus dem Gegebenen alle Folgerungen, alle Möglichkeiten zu entwickeln, ist die verhängnissvolle Nothwendigkeit des geschichtlichen Lebens.“ (Des Aeschyl. Werke übers. Einleit. pag. 17.)

IV. De doloris et sapientiae vicissitudine.

Aeschylus verborum, quae sunt *πάθος* et *μάθος*, annominatione adhibita id agere videtur, ut facilius quandam doloris et sapientiae vicissitudinem commendet auditoribus. (*πάθει μάθος* Ag. 164 et *παθοῦσιν μαθεῖν* ibid. 235.) Sed dolor aut pro poena habendus est aut immerito alicui accidit. Si poena est dolor, dii eum ut medicamentum adhibent *ἄτης*,

quam culpae semper antecedere de Aeschyli sententia supra supra demonstravimus (pag. 28). Quo fit, ut hic ordo constet inter eos, qui Aeschylum recte intellexerimus: dico sese deinceps excipere: caecitatem animi, culpam, dolorem, sapientiam. Sin dolor immeritis affertur, ii mature monentur, ne ultra quam licet mortalibus progrediantur neu unquam desinant et hominum infirmitatem et deorum potentiam spectare. Quin etiam iis licet majore animi tranquillitate exspectare rerum commutationem, quum invidia deorum iis non sit pertimescenda [1]. — Inveniuntur sane aliae causae, propter quas dolore sapientiam augeri apparet, sed eas omittere placet, ne ab ipsius Aeschyli placitis aberrasse videamur. Loci qui illustrant quae modo demonstravimus sunt hi: senes Argivi Jovem praedicant *τὸν φρονεῖν βροτοὺς διδώσαντα τῷ πάθει μάθος θέντα κυρίως ἔχειν* Ag. 163 sq. *Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιρρέπει τὸ μέλλον* ibid. 235 sq. *ξυμφέρειν σωφρονεῖν ὑπὸ στένει.* Eum. 513.

V. De modo in omnibus rebus retinendo.

Legem, quam *Μοῖρα* in mundo administrando sequitur, mortales plane perspicere nequeunt, sed credendum est, quod a sua cujusque salute abhorrere in praesentia quidem videatur, id ad totum rerum ordinem et accommodatum et necessarium esse. Enimvero dii fatales curant, ut quidam modus omnibus in rebus nunquam negligatur. Quem modum si cui transire liceret, convenientia partium ea, in qua mundi ordo (*κόσμος*) positus est, tolleretur; id quod fieri nullo pacto potest. (cf. pag. 27). Propterea modus etiam hominibus in omnibus factis dictisve observandus est. Sed notum est, virtus ea, qua homines cupiditates suas coërceant, quantum apud Graecos philosophosque, *σωφροσύνη* dicta illa, valuerit. Cujus temperantiae praeclarum praebet exemplum Minerva. Itaque

1) Huc quoque haud injuria rettuleris illud: *κοινὸν τύχη, γνώμη δὲ τῶν κεκτημένων* frgm. 365.

quod sibi voluerat a Furiis impetravit, quum sedaret earum iracundiam, in quo nec minas nec comitatem non adhibebat. Quamquam fulmen Jovis jactat, ad quod sibi soli inter deos aditum apertum esse gloriatur, tamen ita pergit, ut mitiget magis Furias quam iis minetur: *ἀλλ' οὐδὲν αὐτοῦ δεῖ· σὺ δ' εὐπιθὴς ἐμοί* (qui facile sibi persuaderi patitur. Wellauer.) Eum. 815. Furiae ipsae suo jure a mortalibus coli volunt, quum *μοίρας ματροκασιγνήτας* nominent ibid. 947 (cf. p. 27). Et societate cum Minerva inita ipsae atroces Noctis filiae ad benignitatem convertuntur: *δέξομαι Παλλάδος ξυνοικίαν, οὐδ' ἀτιμάσω πόλιν* ibid. 903. *μετοικίαν δ' ἐπὴν εὖ σέβοντες, οὔτι μέμψεσθε συμφορὰς βίου* ibid. 1000 sq. Tantum autem abest Minerva sciens videlicet modi omnibus in rebus, ut Furiarum jus parum agnoscat, ut iis polliceatur: *τῷ γὰρ σέβοντι* (sc. Furias) *συμφορὰς ὀρθώσομεν* ib. 884. In gyrum, quem transgredi sese dedecet, repulsae Furiae suo ac peculiari munere adjuvant eos deos, qui universum rerum ordinem observandum curant; quamobrem Minerva eas sic alloquitur: *τῶν δυςσεβούντων δ' ἐκφορωτέρα* (impiis superior) *πέλοις. στέργω γὰρ ἀνδρὸς φυτοποίμενος δίκην τὸ τῶν δικαίων τῶνδ' ἀπένθητον γένος τοιαῦτα σοὔστι.* ibid. 897 sq. Quin etiam si res ita se habuerit, deae illae, quas diis Olympiis vehementer esse invisas supra demonstravimus (cf. p. 27), jam acceptae erunt iis et multum valebunt apud deos et inferos et superos: *μέγα γὰρ δύναται πότνι' Ἐρινὺς παρά τ' ἀθανάτοις τοῖς θ' ὑπὸ γαῖαν, περί τ' ἀνθρώπων φανερῶς τελέως διαπράσσουσιν τοῖς μὲν ἀοιδάς, τοῖς δ' αὖ δακρύων βίον ἀμβλωπὸν* (cf. Wellauer lexic. Aeschyl.) *παρέχουσαι* ibid. 937 sq. Sed ad Minervam redeo. Quae quum praecipuae sit temperantiae, optime cum iis agitur, qui Minervae patrocinio muniti sunt: *Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς ὄντας ἅζεται πατήρ* (sc. Juppiter) ibid. 983. Minervae igitur ad exemplum mores hominum sunt accommodandi et mediocritas semper tenenda est, quod *παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν, ἀλλ' ἄλλᾳ δ'*

ἐφορεύει ibid. 522 sq. cf.: *τὸ βέλτερον κακοῦ καὶ τὸ δίμοιρον αἰνῶ* suppl. 1039 sq. Quod quidem pariter ad res publicas atque ad privatas pertinere manifestum est. Si enim cives oppressi sunt imperio unius viri per vim dominantis, non capiet incrementa respublica, quippe quae semper non unius, sed omnium saluti et incrementis prodesse debeat. Sin autem omnino nulla est lex, qua coërceantur cupiditates, item cives infelicissimi mortalium sunt habendi: *μήτ' ἀνάρχετον βίον, μήτε δεσποτούμενον αἰνέσῃς*. Eum. 519 sq. Atque huc referendum est Oceanidum carmen, quod est de nuptiis paribus Prom. 889 sq. Oceanides enim edoctae Jus calamitate sic dicunt: *ἦ σοφός, ἦ σοφὸς ἦν, ὃς πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν, ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ· καὶ μήτε τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων, μήτε τῶν γέννᾳ μεγαλυνομένων ὄντα χερνήταν ἐρασιεῦσαι γάμων*. cf. Horat. Carm. IV, 11.

Cap. III.

Quae sententiae efficiantur gravissimae ex iis, quae adhuc demonstrata sunt.

Jam quid Aeschylus de fato senserit, satis perspicue ostendisse nobis videmur. Quod quum ita sit, id quod nobis proposueramus, sane perfecimus. Sed quaestionem nostram non relinquendam putamus priusquam quasi ex umbra philologorum in solem atque pulverem eam paulum produxerimus. Qua re si majorem virorum doctorum dissensionem excitaverimus, id nos consideratissime fecisse confitebimur. Quem locum quamquam alias retractare praestat, quum in praesentia et tempus et locus desint, tamen quae sententiae gravissimi sunt momenti afferre et breviter explicare nunc quidem placet.

Nulla profecto opinio tam penitus in mentibus hominum inhaeret quam ea, quae ad liberum quod vocant arbitrium pertinet. Non quo contendere hoc quidem loco voluerim, rem ipsam falsam esse, sed pauci semper inveniuntur, qui recte ejus notionem perspectam habent. Qua in re qui aliquem refellere conatur, caveat, ne sero intelligat, Sisyphi laborem se suscepisse. Nam ut ille lapidem, quem vix potuerat subvolvere, semper revolvi videbat, sic disputans subtiliter de libero arbitrio adversarium etiam atque etiam respondentem audies, se quidem ipsum quod voluerit posse facere. Quem errorem quum alii, tum nuper Schopenhauer tollere nescio an frustra studuerit dissertatione, quae inscripta est: Ueber die Freiheit des menschlichen Willens (Die beiden Grundprobleme der Ethik behandelt in zwei akademischen Preisschriften von Dr. A. Schopenhauer. Zweite Auflage. Leipzig 1860.) Sed vir ingeniosissimus parum in Aeschyli tragoedias incubuisse mihi videtur perlustranti hanc ejus sententiam: „Auf der, wenn auch nicht deutlich erkannten, doch gefühlten Ueberzeugung von der strengen Nothwendigkeit alles Geschehenden beruht auch die bei den Alten so fest stehende Ansicht vom Fatum, der *εἱμαρμενη* (l. l pag. 60).“ At enim non de sensu quodam incerto, quo veteres omnia necessitate fieri praesagierint, vir doctissimus dicere debebat. Imo nihil omnino forte accidere, quidquid efficiatur e certa causa fieri, prorsus intellexere Graeci. Et qui credi potest, menti educatione non depravatae et sanae eidemque ab omni praejudicata opinione liberae id non persuasum esse? An quod illi rem ne in difficiliorem quidem quaestionem revocandam putarunt, ut nos, obruti scilicet adhuc medii aevi erroribus, apud eos ea *γνώμη τῶν κεκινημένων* non erat?

Itaque quod subest illi omnium rerum necessitati eamque tamquam regit et ducit, id Aeschylus tribuit diis fatalibus: *Εἱμαρμένη, Πεπρωμένη* et quidem ita, ut earum efficientiam quasi per omnem rerum naturam videret pariter dispersam sine ulla distinctione earum notionum, quas nos dicimus „Natur“

et „Geist.“ Chor. *τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;* Prom. *Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ᾽ Ἐρινύες.* Chor. *τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος;* Prom. *οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.* Prom. 517 sq. — Quo fit, ut rerum natura ita considerata liberum arbitrium nullum sit. Enimvero ejus notio omni caret subtilitate, nisi, ut Kantius fecit, solorum hominum liberum arbitrium proprium esse dicitur. Qua notione hominum facta ad aliud quiddam referuntur atque ad causas, quae in mundo empirico inveniuntur quibusque solis mens humana nitetur, si quidem suos sibi fines constitutos transgredi noluerit. „Est ergo mundus intelligibilis statio tamquam extra regionem phaenomenorum, ad quam ratio coacta quasi compellitur, ut sublimi hoc loco posita se ipsam intueatur.“ (Kantii Metaphys. d. Sitten pag. 93 cf. Zwantzigeri vers. pag. 132.) At vero Aeschylus ut homo Graecus ordinem rerum semper ad universum rettulit mundum neque ullam legem praeter universalem agnovit. Itaque peculiari vitae humanae ratione caruit, imo eam per se intelligi credidit, quum singulos homines toto rerum ordine contineri persuasum haberet. Unde liquet, quomodo fiat, ut longe lateque quasi prospectum praebeat Prometheus vinctus. Regionem igitur tamquam divinarum et humanarum rerum, ut ita dicam, poëta noster in fato declarando transgreditur non ut singulorum humanorum factorum jaciat fundamentum, sed ut universum quasi substruat mundum. Quare quae in omnium fere ore viget sententia de obscuro fato non pertinet ad quendam incertum sensum, quo necessitas humanorum factorum ab Aeschylo non tam intellecta quam divinata sit, sed fatum habet aliquid reconditi, quod ejus notio quasi monstrat regionem quandam, ad quam rationi humanae non est aditus. Imo ea quasi horrore vacui permota exhorrescit istam voraginem et permittit explendam phantasiae modum semper et formam appetenti. O felicissime Aeschyle, qui hac indole praeditus sub coelo sereno in cogitatione acquieveris *Μοίρας*!

VITA.

Natus sum ego Arthur Alexander Gustavus Joannes Jung a. d. VIII Id. Maj. 1836 Regimonti Pr. patre Alexandro et matre Joanna e gente Heubach. Anno 1857 mens. Octobr. e collegio Fridriciano cum maturitatis testimonio dimissus Academiae Albertinae, prorectore ill. Cruse, civis factus et apud facultatem philosophicam nomen professus sum. In gymnasio Horkelius, vir ingeniosissimus atque humanissimus, quem nuper mortuum lugeo, tam vehementem mihi antiquarum literarum amorem injecerat, ut additis illi incitamento Lehrsii scholis, quaecumque per quatuor annos in academia discebam, omnia ad antiquorum scriptorum interpretationem referre studerem.

Docuerunt me: Prof. ill. Lehrs, Prof. ill. Rosenkranz, Prof. ill. Giesebrecht, Prof. ill. Friedlaender, Prof. ill. Schubert, Prof. ill. Zacher, Prof. ill. A. Hagen, Prof. ill. Glaser, Dr. doct. Herbst. Praeterea seminario philologico ejusque exercitationibus omnibus interfui.

His omnibus viris nec minus illis, qui in gymnasio me docuerunt, gratias ago maximas semperque gratium habebo.